



RAC. I V 1249 (int.4)

209
TRACTATVLVS

AVREVS (QVI EX IOCVNDO

DVLCIQVE QVODDAM SOMNIO

prodiit) de laudabili liberorum institutione,

humilique eorum erga parentes, &

Magistros subiectione.

PER REVERENDVM. D. LAVRENTIUM

Dauidicum Apostolicum Praedicatorum

catorem aeditus.



PATAVII,

Laurentius Pasquatus Excudebat,

MDLXVII.

*Quæ hoc opusculo in tres partes
diuiso Contineantur pro
Christi gloria.*

**De pia Proles susceptione, accurata educa-
tione, laudabili instructione, & uera ad
Deum directione.**

**Quòd uirtus cæteris præponi, in eaq; potissi-
mum puer exerceri debeat. Et quid sit ue-
ra Virtus.**

**Breuis adhortatio ad pueros adolescentesq;
nouitatem uitæ peroptantes.**

210
**IN PERVTILIS HVIVS OPE-
RIS COMMENDATIONEM.**

Bernardi Monachi S. Benedicti Decasticon.

Parua uelut fructus per multos arbor habere
Ingenio, & redimi corpora parua solent.
Sæpe & per plures comprehendit capsula numos
Sic breuis iste liber commoda multa dabit.
Namq; tradit methodos formandi filius aptè
Quaq; prius uera debeat arte coli
Nam teneros prodest multum assuescere Natos.
Conseruatur enim primitus haustus odor.
Quilibet ergo pater Laurenti quærat habere
Dauidici hanc normam, gaudeat ut genitis.

**AD REVERENDVM. D. LAVREN-
tium Dauidicum in eiusdem operis com-
mendationem.**

Vincentij Catti Vicentini Epigramma.

**Hos moritus teneris si quis puer hauserit annis,
Laurenti, & iussis pareat ille Tuis,
Scilicet hic cælo uiuet dignissimus usque
Traducens Puros, & sine labe dies.
Nimirum consulta dedit tibi dulcis Iesus,
Ut uigeat per te nunc pietatis honos,**

MAGNIFICO D. D. NICO-

LAO/CIVI VERCELLENSI, IVRIS
utriusque Doctore probatissimo, Equitiq; pro
Christi fide clarissimo ac nobilitatis ani-
miq; splendore conspicuo

Prasbyter Laurentius Davidicus, Prædicator Apo-
stolicus, Hæreticæq; prauitatis impugnator,
euangelicæ sibi amicitia uinculo coniun-
ctus in altissimo rerum omnium
opifice. S. P. D.



DV M Peritissimi Medici Domini
Aloysij Bellecati ductus consilio
Balneares aquas potare concupi-
scent, ad Reuerendissimū Abba-
tem Prataleæ, D. Simplicianum
ex Pōto Valteline Oppido celeberrimo
ortum patrem mihi in Domino colendisimū,
eius humanitate fretus, humiliter confugi, ut suo in
cænobio à Balneis non distante charitatis impulsu,
& nostræ ueteris in suauissimo Iesu amicitia intui-
tu me cum nepote hospicio susciperet, quò sani-
tati meæ pro redemptoris nostri gloria facilius con-
sulerem. Is feruens in opere, potens in sermone
sacrorumque conciliorum ac canonum sanctiones
apprime callens, summa, qua fulget, discretione
motus meæ non defuit petitioni, præsertim, quòd Ve-
nerabilem olim plurimumq; Reuerend. fel. re. Do-

minum

minum Marcum Antonium Quadrium eius fra-
trem summo semper amore complexus fuerim. Nec
immeritò; Ipse enim. R. Vir nunquam satis lauda-
tus iuris utriusque Doctore, Euangelicæ professionis
& charitatis candore præditus, Hæreticorum Ma-
leus, & catholice ueritatis columna immobilis,
omnium non minus, quam suam salutem sitiens, di-
uinum ubique cultum pro uiribus promouens, &
non mediocri refulgens prudentia fuit uir dilectus
Deo & hominibus. Dum igitur ibi morarer in
tam salubri Aere uenustissimū conspicuumq; Pra-
taleæ apud Patauium eius diligenter intuitus Mo-
nasterium non parum admirationis concepi: In
Aedibus enim illis magnoperè ars ædes erigendi plu-
rimumq; clarescit. Ibi gausus sum gaudio magno
ualde amœnitate collium, fertilitate uallium, Mo-
nachorum Sanctitate, uiuendi frugalitate, Sincera
habitantium iocunditate, pulcherrimæ ecclesiæ
uenustate ad deuotionem singulos alliciente, flori-
do nonnullorum studio, mira Bibliothecæ, Medicatri-
naque spectabilitate, infirmorum, quæ ibi geritur,
ac Aduenarum cura, Aromatarij, omniumq; offi-
cialium sinceritate, & Medici ibi existentis præ-
stantia, cui plurimum in altissimo debeo, & no-
men est Magnificus. D. Vincētius Cattus literarum
ac morum laudabilium conspicuitate pollens. Hinc
se omnibus amabilem exhibet. Gausus sum inquam
discretissimo Abbatis progressu, Modestia prioris
& prudentia, fideli Aeconomicorum, infatigabi-
liq; diligentia, & spiritali reliquorum cænobi-
tarum

tarum, quam mihi contulerunt, aedificatione. Ibi
flore animorum candor, mirabilis micat deuotio,
unio fulget mentium, & spirituum feruor exarde-
scit. Istihinc quadam alia sacra nō distant Cœnobio,
feruētēs Heremita (quorum hic laus ubiq; canitur)
et tēplum Deiparæ dicatū, in quo cōpluriū miracu-
lorū extant insignia. Non distant & alia Balnea in
quadā planicie, presertim Abbani, et Sancti Petri
quorum uarias proprietates longum esset recētere.
Quamobrem Patavinum agrum Illis à Deo. Opt.
Max. tam mirabiliter decoratum felicissimum esse
censeo, ut amplissime descripsit Egregius Vir litera-
rum candore conspicuus, & plurimum Reuerēdus
D. Bernardinus Scardeonius Pataviū canonicus præ-
stantissimus in uolumine suo, qđ de Antiquitate Pa-
taviū Basileæ impressum, & de claris Patavinis ciui-
bus feliciter edidit, sed inter cætera summa perfun-
dor lætitia, quod hic in Cœnobio Sanctæ Iustinae tā
mirabiliter sanctorum Reliquiis, non nullis re, ac
nomine Monachis mihi cognitis, et magna erga pau-
peres pietate decorato inueni, quē plurimū diligit
anima mea. R. D. Io. Petrum Brixensem iocundissi-
mum ueræ humilitatis, deuotionis, et charitatis pro-
fessorem. Ad hæc dum in eodem Prataleæ hospita-
rer cœnobio, semelq; in Dulcem oculos somnum decli-
nassē, mihi ubiq; locorum suauissima tui me-
moriam perfuso in somnis uisus es me alloqui, diuq;
mecum uerba salutis habere, & inter cætera me,
cui præcipere poteras, humiliter obsecrabas, ut
ali-

4 442
aliquid de uera laudabiliq; liberorum susceptione,
educatione, ac institutione proferrem, uel saltem ad
te conscriberē. Paulo post à sonitu quodam excitatus
quia tibi perpetuæ laudis Viro deesse nequeo, accen-
so lumine arrepto calamo, menteq; ad omniū bonorū
largitorē erecta, ad hoc euestigio (ne tāta oblectatio-
ne refertū somniū elaberetur ex animo, à memoria
corrueret, in obliuionis manus incideret, à corde di-
lueretur, et lætheis aquis obrueretur) ut tibi amico
tam fidei statim obsequerer, me accingere decreui.
Luce aut sequentis Diei fulgente cuidam Venerabili
eiusdē cœnobij Monacho in humanis sacrisq; literis
probatissimo hoc opusculū seorsum detexi, quo ipse
uiso me etiam atq; etiā adhortatus est, ut ipsum im-
pressori traderem, quò pluribus consulerem. Eius
amoris erga te mei impulsu non spreui consiliū. Eni-
tar pro uiribus, ut illud in lucem editum, & tibi tā
prestati Viro dicatū ad te prius unā cum his meis
aliquis amicorum dirigendum curet. Munusculum
igitur hoc ea animi hylaritate qua tuæ humanissi-
mæ offertur perspicacitati libenter in tuis oratio-
nibus mei memor existens suscipias. Quod te Dux ille
Florētia Excellentissimus in Equitē elegerit, insignē
te animi presertim fortitudine nō minus Christi quā
ipsius Equitē fore sperās gaudeo. Quū ipsū tam ca-
tholicū integerrimūq; Principem uideris, ei me com-
mendatū uelis. Ec. nanq; suā nō mediocri obseruatiōe
ac dilectione cōplector. Venetiis plura his diebus el-
apsis exaravi ad claritatem tuam eam semper bene-

ualere peroptans. Dum per Padum huc me Na-
uigio conferrem Cremonæ nocte quadam, apud
Magnificum, Illustrum, & plurimum Reueren-
dum. D. Galeacium Ponzonum Comitem suauissimū
utriusque Iuris Doctorem peritissimum, & Cathe-
dralis Ecclesiæ ibi Primitarium dignissimum, qui
te coæuum plurimum, ex quo simul studuistis in
Domino diligit antiquæ amicitia uigore hospita-
tus sum. Isthic quæ & quanta de te simul egerimus
haud facile uerbis assequi possem, Magnificos, Spe-
tabilesque conciuēs tuos. D. D. Jo. Stephanum
Beluisium, & Iosephum Moniardum humanarum
legum professores egregios nomine meo saluatos
uelis, eos namque in Domino non mediocri amore
prosequor. Idem & amplissimo eiusdem profesio-
nis Viro (quum illum tibi obuiam habere, uel al-
loqui contigerit) Domino Tulio Arbonensi ciui Me-
diolanensi Candidissimo uirtutumque cultori admi-
rando, ut innuas peropto, Eius enim animi since-
ritati plurimum me debere fateor. Ei & hunc Tra-
ctatulum pergratum (sicut & sibi non minus dica-
tum) fore arbitror, dum Christianæ filiorum lite-
ralique instructioni Reuerendi D. Præsbiteri Fran-
cisci à Carona Deum timentis, & Præceptoris exi-
mij utens opera domi tam ardentem prouidēq; inui-
gilat. Longum mihi esset uerbis complecti ipsum
quatum eloquentissimum Tulium uirtutibus, qui-
bus clarescit, intuitu amore prosequar. Ab ip-
sis namque incunabulis (fari audeo) nulli ob-

223
esse, omnibus prodesse, Deum colere, sanctos reue-
reri, diuinum pro posse cultum promouere, catholi-
cam ueritatē (ac si eam a Matre cum lacte hausisset
ecclesia) feruenter profiteri, & quælibet in domino
diligere didicit. Merito igitur Illustrissimus Cardi-
nalis Borromeus Vir cælitus Illustratus, à cunctis
ubiq; laudibus efferendus laudabilium gestorū
suorum intuitu, Orthodoxæ fidei, ac uirtutum prote-
ctor eximius, & suæ Diocæsis reformator feruentis-
simus Ipsum Dominum Tulium apud se iugiter
uitam degere concupiscit, quoniam prudentia
Is consilioque pollet plurimum ac experientia.
Adhæc Illustrissimo. D. Domino Guidoni Ferrerio
Cardinali nostro Vercellensi, tantaque benignitate
clementia, modestia, charitate, diligentia, & pieta-
te conspicuo ad eum me deuinctum sentio, quod eum
ubiq; in laudibus efferendo, & si alijs satisfaciā mi-
hi nunquam satisfacio, utq; eum uerbis meis indeſe-
nenter à te saluatum appetam. Nec silentio inuol-
uere possum, amabilem illum Dominum Fabium ac
Reuerendum Virum equidem prudentiss. qui meri-
tò saluandus à secretis eiusdem Illustrissimi Car-
dinalis nostri Vercellensis tam fideliter existit. Nec
Reuerendos summaque ueneratione dignos, insignes
pietate uiros Dominos Franciscum Raspam, & Ni-
colaum Balbum meum in illa Vercellarum uisita-
tione discretum collegam canonicos honorandos.
Nec meæ huius Christianæ saluationis expertem
uelis Vir iocundissime Magnificam Dominam An-
gelam Centoriam, tam prudentem ac modestissi-

mam, eiusq; ingenuã prole, ingenio, ac spectabili indole præstâtes filios. Vniuersæ sãti Ioseph castissimi immaculatæ uirginis sponsi Societati meæ in Christo dilectæ, uerq; deuotione fulgenti, & reliquis illius Almæ Ciuitatis Societatibus, feruore præclaris æternam fœlicitatem peropto, Idem & toto corde cõcupisco Venerabili Societati Sanctæ Mariæ à Fonte Mediolani extra portam Tonsam, in ijs, quæ Dei sunt, plurimum feruenti, & diuino ambre succensæ meæ in amabili Iesu carissimæ. Præ mentis quoque oculis meritò salutatione dignum habeo Reuerendũ. D. Cyprianum Vbaldum ex Hyporegia magistrum sacræ Theologiæ probatissimum, Inquisitorẽ diligentissimum, ordinis Prædicatorum, & uirum non minus discretissimum quàm doctissimum. Mihi rem pergratam facies, si salutos habebis nomine meo, cum eos uidendi se tibi obtulerit occasio, Magnificos & Illustres Dominos. D. Ludouicum Namursium ex Fraasinello cum suis iocũdis fratribus, D. Abbatem Valarium & Reuerendum cum Clarissimis Fratribus. D. Ioãnem Petrum Porrum ueræ humilitatis ac patientiæ professorem cum ceteris, qui secum habitãt. D. Maximianum Gonzagam Marchionem præclarissi. cum eius Magnificis filijs D. Thomam Meccum Placentinum canonicum Reuerendum cum suis amabilibus fratribus. D. Augustinum Gallum Brixensem uirum nunquã satis laudatum, & suis scriptis omnibus perutilem. D. Angelum à Paradiso cum eius Brixie feruenti collegio Reuerendum. D. Franciscum Bibienam cum ceteris

6 114
eius sacri collegij Sacerdotibus feruentibusq; adolescentibus montem illum ab urbe Brixia non distantẽ tam ardentem incolentibus, ex quo beneplacitum est Domino habitare in eo. Reuerendos Sacerdotes in Ecclesia S. Sepulchri Mediolani Deo, & proximo tã indefinenter uerbo & exẽplo inservientes, Christi que bonus odor uitæ existentes. Reuerendissimos ac præcipuos Præsules Dominos Hieronimum, & Urbanum à Ruere apud omnes Episcopos probatissimos. Silentio præterire nequeo illum insignem uirum Hyppolitum Rubeum tam diligentem gregis sibi crediti pastorem, discretum Papiensis cleri reformatorem, & Episcopum in omni uirtutum genere conspicuum. Magnus est corpore, maior animo, uirtute maximus. Eum humiliter obsecro, ut me sibi in altissimo commẽdatum habeat. Non obliuiscor Reuerendissimi. D. mei. D. Antonij à Vulpe Comensem Antistitem integerrimum mihiq; Colendissimum, nam eius fretus clementia ac benignitate exploratum habeo, quòd mutuo me amore complectitur. Non omittas insalutatum ampliss. ac Magnificum. D. Hieronymum Torniellum Lectorem Papiæ Præstantissimum plurimumq; in Deo colendiss. D. Iacobum à Ponte Astensem Archidiaconum, et Stephanum Miolum Saluciensem Rouellique Præpositum, spiritus feruore perfusos, litterarum non mediocriter candore decoratos, & accensos catholice ueritatis professores tales, & Magnificos. D. D. Ioannem Mariam, & Mar-

cum Antonium Guizzardum, Andream Scher-
nardum, Bernardinum Ruscum, Bernardum Lam-
bertengum, Franciscum Pallavicinū Phisicum pe-
rītissimum cum eius spectabilibus, ac præclaris
filijs, & .D. Nicolaum Burmium Hæreticæ pra-
uitatis aspiros, quantum possunt, impugno-
res, & Orthodoxæ fidei promotores. Vt res
paucis absoluam, salutatos uelis omnes quos mi-
hi spiritualis amiciciæ uinculo coniunctos esse te
non præterit. Ex animo non exciderunt tot mei
in Christo spirituales filij, quos in diuersis Ita-
liæ partibus habeo quod tibi est conspicuum.
His ueram humilitatem, feruentem deuotio-
nem, ardentem Dei honoris Zelum, mutuam in
semetipsis charitatem, suauissimamque in Christo
unitatem, & fidelem in eiusdē obsequio p̄seuerantiã
meque eorum orationibus humiliter commendo.
Prolixius, quàm putaram ad te scripsi, quia
fortè breui uitam cum morte commutabo (nam
magna febris laboro, laterumque dolore con-
fodior) nec amicorum amplius talium utar
præsentia. Nec aliud nisi, ut cum Magnifica .D.
Hortensia in Vxorem tibi diuinitus data, mi-
ra honestate prædita, pudiciciæque decore,
ac Domino Iano Vespesiani Redamantisque tuo-
rum spectatæ indolis liberorum præceptore ac-
curatissimo in utroq; homine beneualeas. Non enim
minus interno, quàm externo constat homine
quod suis in epistolis Doct̄or gentium diligenter enu-
cleat. Datum Patavij Idibus Iulij M.D.LXVII.

445
PROSPERI MARTI-
nengij Monachi Epigramma.

Corpore quòd paruo constat, studiose cauet
Hoc (moneo) parui pendere lector opus.
Corpore sunt paruo gemmæq; indiq; Lapilli,
Omnibus in magno sunt tamen in pretio.
Aurea (crede mihi) sunt hic præcepta relata,
Quies potes infantes erudisse tuos.
Quies potes ursino prognatos more puellos
Formare, humanisq; effigiasse modis.

Nicolai Bellunensis Monachi.

IN COMMENDATIONEM
Epigramma.

Discite colla Iugo Iuuenes nunc subdere laxi,
Discite Vos Natis consuluisse Patres.
Discite iam teneris Matres occurrere Gnatis.
Discite Doctores quod teneatis opus.
Discite filioli monita atq; subire Parentum.
Discite iam senibus credere refta bonis.
Nam mira instituit regimen Laurentius arte
Pareat ut quisq; Hic dirigat, Ille regat,

Ad pium Lectorem Operis Præfatio.



Vum sacrum, coelitus Illustratum, in spiritu sancto congregatum, probatissimumq; Tridētinum cōcilium inter cætera nostra hac tempestate decreuerit, ut facilius peroptatā diu promoueret reformationē, quòd singulis in ciuitatibus puerorum præsertim pauperum desideratissimæ expectationis spectatæq; indolis, ac capacitatis seminarium erigeretur, in quo moribus, & litteris à candidissimis humanarum diuinarumq; rerum cultoribus imbuerētur. Opere præratum esse duxi, singulos suorum parentes, ex quò omnes seminarium ingredi nequeunt, ut domi suæ curam gerant, & præceptoribus Dei timore, charitate, deuotione, humilitate, ac eloquentia ornatisimis eos non minus custodiendos, ac exercēdos in his, quæ Dei sunt, quàm litteris instruendos tradant, adhortari. Visum insuper mihi est opus esse pium pueris ac discipulis consulere, ut Deo inexhausti uigoris gratias agant de tam grandi munere, utq; parentes ipsos, ac magistros (quibus nullatenus potest reddi æquiualens) humili subiectione, pia reuerentia, uera dilectione, & interna, realiq; ueneratione, uirtu-

tis

8 466
tis, amore, & gratitudinis impulsu prosequantur. Quapropter hoc opusculum, rem paucis absoluens, de laudabili liberorum institutione, humiliq; eorum erga parentes, & magistros subiectione, ad amicum conscribere libuit, postquam id in somnis uisus est hoc à metā ardēter exigere. Omnia igitur, quæ in eo continentur, ut boni, æquique consulas, obsecro, & charitatis, intuitu pro me detrahentiū labiis uiriliter obstitas. Me non præterit, quòd facundissimus aliquis litterarum callens professionem, id muneris suo desideratissimo utilius suscepisset eloquio, splendore decorasset, & feruore peregisset. Sed ne tam iocundissimi uera nobilitate micantis, & clariss. amici me tam suauiter obsecrantis pio deficerem desiderio, ad hunc exhauriēdum laborem humili in eo (cui cura est de nobis) ductus confidentia ex templo me accingere decreui. Non me tamē hanc ob rem eorum ascribas numero, qui de facili somniis fidem adhibent, id enim ab Ecclesia, (quam, ut magistrā fidelem sequor, ut piissimā matrem ueneror, ut ueram ducem obseruo) prohiberi me non latet, idq; nephās censerī exploratum habeo. Si quid autem errati in eo conspexeris, aut impressoris incuriæ, aut temporis breuitati ascriptum uelis, uolui enim, ut somnium illud eiusdem quamprimum sequeretur impressio, ut amico tam candidissimo priusquam

quam hinc discederem habita præcipuè im-
pressoris copia, quantum ipsum diligam cla-
rius innotesceret. Vale Deumq; Opt. Max. (cu-
ius largitati bona ascribēda sunt omnia) pro
me ipsius inutili seruo iugiter oratum uelis.
Ne tuis autem ego præcibus ingratus existā
toto corde peropto, ut qui lucem illam ha-
bitat inaccessibilem sua tecum gratia sem-
per esse dignetur quò tu mente secum sem-
per charitatis ardore esse merearis. Iterum
uale in ipso rerum omnium conditore suauif-
simo, cui meritò debetur omnis honor, &
gloria.

227
INCIPIT TRACTATVLVS AV-
reus de laudabili liberorum instructione, co-
rumq; humili erga suos Parentes ac Ma-
gistros subiectione.

Per Reuerendum . D. Laurentium Dauidicum A-
postolicum prædicatorem editus.



Beatissima Virgo uirginum, Vera
Dei genitrix, Angelorum specu-
lum, scala sanctorum omnium, ad
te hac in tuæ Visitationis Solemni-
tate humiliter confugio, ut meum
superno lumine uisites interiorum
hominem, charitatis ardore succendas, tuæ pietatis
rore irrigas, & ueritatis splendore perfundas, quò
tuo fretus auxilio hoc ad laudem tui nominis exor-
diar opusculum.

Vt fælicem successum liberorum res consequatur, imprimis æquum est, ut probis procreentur pa-
rentibus, ex legitime contracto in lucem prodeant
matrimonio, ex sancto timore perfuso generentur
concupitu, & in dei nomine studio pro illius
gloria suscipiendæ, non libidinis explendæ gratia
concipiantur; Inde quum orti fuerint, à propria ma-
tre, (ni aliqua impediatur infirmitas, corporalis per-
turbet uexatio, & periti medici aliter sentiat dili-
gentia,) lacte nutriantur. Ipsa enim maiori cura a-
let, educabit dilectione, fouebit, diligentia, quos se-
peperisse nouerit, sic ingenuæ matris nobilitatem,
B moresq;

DEVERA LIBERO.

moresq; cum lacte imbibent, ac probitatem, sic ipsa tenellæ illorum, quos uolet, ætati, mores imprimet, ut sibi magis libuerit, eos ab incunabulis instruet, laudabili exemplaritate in uia Domini diriget, & iuxta euangelium uirtutibus interius decorabit. Hinc Phocilides poeta scriptum reliquit, Dum tener est gnatus, generosos instrue mores. Nutrix deuotione prædita infantes custodiat, signo sæpe crucis muniat, sanctorum operetur ut assuescant imagines intueri, inclinato capite eos uenerari, ad Ecclesias libenter deferrî, pectus percutere, & si nesciant quid faciant, & crucifixum saltem digitis indicare. Quñ loqui incipiunt, eos Dominicam orationem salutationem angelicam, Apostolorum Symbolum edoceat; coneturq; ut cum didicerint, eis ientacula, reliquosq; cibos eorum ipsi præueniant, ut poterunt, ab impudentium puerorum eos auertat consortio, cū bonis ambulare, ludereq; permittat, mala uerba ab ipsorum ore statim minis abscindat, aliqua de inferni paradisiq; mansionibus sæpe sibi annuntiet, ut mendacia, turpiloquia, & iras suas perhorrescere, Deū timere in simplicitate sua, & benefacta in sēsu suo probare incipiant. Quñ septenniū attigerint Parentes eis præceptores probatæ fidei adhibeant, qui claris moribus pollentes, deuotione fulgentes, & sacras non minus cæteris parib. litteras quā grāmaticales profitentes, eos suæ fidei creditos sūma cū benignitate admittāt, suscipiant, ad discendū alliciāt, & tales corā eis esse studeāt (maximā. n. pueris debent reuerentiā) quales liberos sibi commissos futuros cu-

INSTITUTIONE. 10

216

piunt; qui nanq; claudus uicinus habitauerit, (ut trito inest adagio) ipse claudus ambulare discet, & qui cū bono bonus erit, & qui cum pueris peruertetur; Corruptunt. n. bonos mores colloquia mala. Heu in quantā sæpe animarum perniciē præceptores incauti in eorū teneris unguiculis pueros detruferūt, quò semel quidem est imbuta recens seruabit odorem testæ diu. Ideo Crates ille Thebanus exclamat, Heu Parentum incuria, & uitio magistrorum quot improbos filios esse conspicio. Ideo doctōr puerorū (ait Augustinus) eis malit opere placere, ac prodesse, quā uerbis, Ne uitio deiciat, quos edificare debet exemplo. Hinc scribit Boetius, Liberos præceptor sit bonitate laudabilis, uirtutibus insignis, & discretus in singulis. Discipulorum magister uerus nō est qui Christi discipulus esse renuit. Quidam in populum sic exclamauit Philosophus. Quorsum ruitis homines? omne in acquirendis pecunijs studium adhibetis, tempus conteritis, & cor curis obruitis, filiorum autem, quibus eas relinquetis, salutē cōtemnit, & secundum Ambrosium, spiritalem profectum despicitis, & curam nullam geritis, ac si illa uobis chariores essent, ac si pro filiis reddere uos non oporteret rationem, ac si eorum animas Deus de manibus uestris non esset requisiturus. Tantum O, Patres uerè diuites erūt, quātū uirtutū cōsecuti fuerint, quantū sicut cerui sitiuerint ad Deum fontem uiuum, quantum benè, beatèq; uiuendi normæ uacauerint, quantum Dominum imitari studuerint, quantū cælestia magis quā terrena concupierint, quātū

DE VERA LIBERO.

terrena spreuerint, quantum ad superna se magis excitauerint, quantum Christi uestigia feruenter percurrerint, quantum recta intentione spiritualia pertractauerint, quantum dei timoris, & amoris suæq; internæ reformationis habuerint, quantum se ipsos abnegauerint, quantum in Christi obsequium suum captiuauerint intellectum, quantum uerè se humiles exhibuerint, quantum Christum ipsum in pauperibus dilexerint, quantum interius se receperint, quantum æterna perituris, caducisq; bonis præposuerint, quantum amore Christi nulli obesse, & omnibus prodesse uoluerint, quantum deuotionibus institerint, mentem magisquam uentrem hic alere decreuerint, quantum spirituales libros præ manibus habuerint, quantum cum spiritualibus eos non piguerit conuersari, quantum inordinatos affectus à seipsis eliminare non recusauerint, quantum iugiter se tenuerint in timore Domini, quantum in mentali se se exercuerint oratione, quantum diuinum implorauerint auxilium, & quantum ipsi Deo super omnia placere studuerint.

Parentes insuper adhortatos uelim, ut sæpe quantum discant filij perquirant, interrogent, siscitentur, tentent, experiantur, & uideant, nam & equus Domini oculo fertur pinguescere, Ager maiores fructus proferre, seruus laboribus non parcere, & operarius operi magis insistere. Hinc Pedagogi maiori cura liberos prosequuntur, filios sibi creditos custodient, & dominorum natos magis ad maiora pro-

mo.

INSTITUTIONE.

129

mouere studebunt, scientes se cum illis tam diligenter obseruari, sæpe suæ uilicationis rationem reddituros & se cum prudentibus negotium pertractare. Hos puerorum memoriam inter cætera exercere delectet, quæ Musarum mater in fabulis esse traditur, quæ & sacris dogmatibus, & spiritualibus consilijs, & Christianis monitis est munienda. Illos uera proferre, mendacia uitare, uirtutes sectari, & uicia odio prosequi doceant, æternæ uitæ, & tartari supplicia, in legendis lectionibus ac sanctorum gesta insignia referentes. Illis pandant non prophana, non carnalia, non uana, non quæ temporalem prudentiam sapiunt, non eorum capacitate altiora non inutilia, non nugas, non fabulas, Ethnicorumque historias tantum, sed ad salutem spectantia eorum sitiant salutem, plura enim sæpe pueris uicia in esse conspiciamus, quæ feruens abscindit præceptor, uigilans extinguit doctor, prudens paulatim eliminat magister à malorum consortio illos retrahens, uirga utens, quum opus est, minas modò adhibens, modò illos blandicijs, ut tot calcaribus ad Deum in spiritu lenitatis dirigat, & laudabili uitæ exemplaritate, à quauis turpitudine arceat, à superbia reprimat, à persuasione deiciat, ab iracundia cohibeat, ab ingluuie retrahat. Pueros enim impuberes (inquit Gellius) compertum est, si nimio cibo, potu utantur, hebetiores fieri, rarò in litteris proficere, sæpius paulatim euanescere, potius retrogredi, quam progredi, ac demum magis deficere, quam proficere

B 8

DE VERA LIBERO.

discant patres se coram filiis irreprehensibiles, laude dignos, inconfusibiles, cautos in uerbis, in gestis circumspectos, & prudentes in singulis exhibere, quia his, quae liberi ab illis audierint, in illis cōspexerint, facile imbuuntur; Si illos ludere intuentur, blasphemare percipiunt, iurare intelligunt, idem putantes sibi licere exequi uolunt, uel saltem mente agrediuntur, ut cum conceperint habita occasione pariānt. Ideo Parentes filiis praesentibus, nil nisi quod eos facere concupiscunt, agere audeant, aliter si eorum culpa quid mali imbiberint, non sine magna difficultate ab ipsorum mentibus diluitur. Quae eos deceant illis recreationes concedantur, quia quod caret alterna requie durabile non est, & arcus, si nunquam cesses tendere, mollis erit, Haec autem omnia Dei timor, uerus filiorum amor, & Christiana patres & magistros edocet prudentia. Beatus quē interius tu erudieris Domine in singulis, & de lege tua docueris eum.

Nato sibi filio pater eum commendat, & offerat altissimo, ad eius gloriam eum alere intendat, de illo in uirtute illius, in quo omnia possumus, spem concipiat, pro eo humiles saepe preces effundat, diuinum super eum iugiter imploret auxilium, ad gratiarum matrem confidenter confugiat, ad sanctorum intercessionem conuertatur, eius salutem toto corde peroptet, & peractō quod in ipso est; optimo cum credat praepceptori, eo probatae fidei uiro credito in utraque aurem dormiat, suo praepceptorem fungi permit-

tens

INSTITUTIONE.

120

tens officio. Id namque sacri doctores, & sapientes quilibet consulunt. Praepceptor liberè corrigat, & puniat, cum opus est, aliquando laudibus excitet, (nā immensum gloria calcas habet) & prudenter operetur, ut sibi inuicem discendo discipuli laudabiliter inuideant. Si autem liberos ad publicos ludi magistros mittere Patres decreuerint, à fido amico uel fidei seruo eos comitari uelint. Praepceptoremq; ex illis eligant, qui se turba onerare respuat, laudabilem uitam ducat, aliquo sibi amicitiae uel consanguinitatis uinculo detineatur, puerorum magis salutem in litterisq; profectum, Dei honorem, suumq; sitiat, quam parentum pecuniam, qui inquam timeri uelit, & amari, qui ueram obedientiam à discipulis impresso illis uirtutis amore obtineat, uel uerberibus extorqueat, qui eorum pectoribus mutuam in Domino dilectionem inserat, insertaque custodiat, qui catholica ueritate, ac deuotione uera enitescat, qui in sacrosanctae Romanae Ecclesiae gremio uitam degat, & apud quem profit unius obiurgata desidia, laudata alterius industria, omnium indefinens emulatio. Sēper in proptu sit litteralis exercitatio, cōgressusq; frequens, singulorum discussio quō ad mores, & litteras, uiuendi formam, grammaticalemq; professionem, & ardens disputatio.

In nullo magis parentes uigilare debent, quam ut filios optimos reddant, ut liberales artes caleant, & Deum timeant, colant, uenerentur, diligant, & praep oculis habeant dicente Sapiente, filij tibi

B 4 sunt,

DE VERA LIBERO.

sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia eorum, nec ostendas hylarem faciem ad eos, sed ad iracundiam (ut scribit Paulus ad Epheseos) parentes non prouocent filios, sed educant illos in disciplina, & correctione Domini.

Siquis ex liberis literas penitus respuat, discere saltem ita compellatur, ut legere, ac scribere sciat id pro uiribus perfecte calleat, quantum enim id humana uitæ conferat, neminem præterit, legendo namque potest conscriptas orationes dicere, sanctorum uitas intueri, Euangelij codicem uoluere, quæ ad spiritualem uitam conferat profiteri, & si laycus existat, & multorum monita salubria possidere, scribendo potest plura amicos monere, aliis inseruire, ex quo non solum nobis nati sumus, redditus suos in libris reponere, & rebus, negociisque suis in multis consulere.

Ex liberis si quis discretionis annos attingens neglectis literis miliciam adire concupiscit, indesinenter moneatur, ut cogitet quæ, & quanta militibus imineant pericula, quod damnationem sibi acquirit, qui inseruit iniustum bellum gerenti, quod iram Dei sibi miles thesaurizat, qui pauperes deprædatur, qui aliquem concutit, ut innuit Ioannes apud Lucam, qui alicui contumelias infert, qui suo non contentatur stipendio, qui depopulationibus inhiat, qui appetit aliena, direptionibus gaudet, & nec Deum nec homines ueretur, Ideo si miles fieri uult, prius an bellum

INSTITUTIONE. 13

L21

bellum sit iustum discutiat, sciscitetur, exploratum habeat, inde si iustum nouerit, aliena non concupiscat, iugiter se in Domini timore contineat, quod sibi domuique suæ inferri nollet, aliis non inferat, & quod sibi uellet conferri, omnibus & singulis compatiens aliis conferat, tanquam momentis omnibus moriturum se præparet, probum reddat, uerè uitam degat, tueatur innocentes, quibus potest, prodesse studeat, alios adhortetur, ne alicui obesse uelint, omnium salutem sitiatur, mortem ipsam, Dei iudicium, Inferni penas, Cæli gloriam, Passionem Christi, breuitatem uitæ, Mundi deliciarum uanitatem, & quid fides nostra exigat proponat militibus, (Neminem nisi inuitus uulneret) occidat, & prosternat. Deo sæpe humili oratione se commendatum habeat, ut ipsum cum cæteris ad salutis portum dirigat.

Si agriculturæ operam ruri nauare gliscit; ut olim Romani nobiles solebant, eorum, qui sibi inseruiunt curam gerant, operarijs exemplo euangelij patrisfamilias apud Matheum mercedem persoluat, (Ille enim inquit, quum seruum factum esset, procuratori) Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis usque ad primos; Nullum ex contiguis sibi agris à suis lædi permittat, seruis enim bubulcis & uilicis fertilior semper alienis in agris seges esse uidetur; Grandines, imbres Arborum concussiones & eradicationes, Ventorum impetum irruentium, Procellas & penuriam æquanimiter sustineat, illud bea-

DE VERA LIBERO.

Beati Iob mente reuoluens. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit Nomen Domini benedictum.

Si merces potius pertractare cupit potius animam quam rerum temporalium curam gerat, neminem ut magis lucretur fraude circumueniat, non minus ementis charum, quam suum sibi sit marsupium, plus nolit pretij, quam uenalia, quae habet, exigant, Quid enim prodest homini (ait Dominus) si uniuersum mundum lucretur, animam uero suam detrimentum patiatur?

Si ociari magis peroptat, suis contentus sit prouentibus, circa inutilia inaniter tempus non conterat, & librum, cui titulus est. Ille spassatempo de gentilibus homini, legat, perlegat, sibiq; familiarem habeat, ex eo namq; non parum utilitatis eliciet, si quod in ipso oculis conspexerit, operibus frequenter complecti uoluerit, saepe respiciat in faciem Christi sui, & quod pro eo passus fuerit diu, noctuque humiliter meditetur.

Si terrarum orbem curiositatis studio peruolare desiderat, cogitet, quod forte in Pyratas, aut latrones uiarum obsessores incidet, qui eo semiuino relicto, aut penitus extincto, quicquid habet auferent, quod multis se periculis exponet, quod nihil aliud demum quam afflictionem spiritus hauriet, quod forte peregrinam uitam degens, non deuotionis, sed propriae satisfactionis intuitu Deum in pluribus magis offendet, & illo offenso quid internae unquam pacis habere poterit? Domini igitur in timore Domini humi-

INSTITUTIONE.

14

427

humili sui cognitione, in orationis feruore, in erga pauperes charitatis ardore se contineat, latior uiuet, rarius cadet, citius resurget, & tutius uitam praestante domino, qui bonae menti semper occurrit cum morte commutabit.

Et si isthaec ex defectu luminis perhorrescit, ne ocio tabescat aliter se laudabiliter exerceat, ludat pila, ne ignauia conteratur, profundos fluuios fido duce enatare discat, equitet, iaculetur, saliat excurrat certatim cum sociis, et luctetur, sed super omnia se in uiam Domini dirigat, quia uita tempus elabatur, mors ceruicibus iminet, et gradis nobis ad Deum semper restat uia, et sine Dei gratia nimium post huius uitaecursum, miserabiles aeternaliter essemus. Themistoclem fertur in equestri facultate ita filium suum reddidisse, ut equis rectus insisteret, rectusq; ex eis sagittas torqueret, & cum hostibus armis cogredere tur. Pericles, uir sapiens in literis, in musicis, in certaminibus filios instruxit. Quisq; ergo suos uirtutibus decoratos potius quam diuites liberos relinquere uelit, peccantes puniat, qui sic a uitiis abstrahuntur, Qui uere eos diligunt, uera eorundem curam gerant & suscipiant. Non sufficit eos bene nasci, nisi bene pariter educentur, bonis moribus imbuantur, & reales uirtutes consequantur; In delicijs uitam ducere non permittantur, a ciborum, uiniq; repletione abstinere cogantur, cum aequalibus, & probis, ut conuersentur sibi concedatur, ne tedium huius uita contrahant, animi amaritudinem incidant, & nimia indignatione diuertendi conficiantur:

DE VERA LIBERO.

Liberi rationis usum habentes in Herculeo biuio
existentes Parentibus obediant tanquā Deo, si eius
indignationem euitare cupiunt, Præceptoribus in
his, quæ à Deo non auertunt, pareant, & omnes
qui sibi ad benè beatèq; uiuendum consulunt, ob-
seruent, eis cedant, subesse uelint, & pro uiribus
obsequantur, id enim sibi non parum utilitatis spi-
ritualiter asferet, Sic proximum, cui plurimum de-
bent, interius edificabunt, seipsos gratos reddent
altissimo, in cuius amore proficere contendunt,
eumque ubiq; sibi adesse suæ gratiæ fauore sentient.
Non desunt spirituales libri hodie perutiles, hos le-
gant, Vt Cathechismū Romæ impressum sub tam
feruenti Pastore reformationem Ecclesiæ sitiente,
& gregis sibi crediti fideliter curam gerente Pio
Quinto Pontifice Maximo, & complures alios,
quibus utuntur, qui in Seminario sunt Mediolani Il-
lustriss. uigilantisque Cardinalis Borromei opera
erecto, Talibus siquidem libris liberi euangelicè in-
stituuntur. Eorum ergo aliquem semper præ mani-
bus habeant, orationibus feruenter uacent, Chri-
sti ubique se muniant memoria, suis resistent uiciis
ipsum clemētissimum Dei filiū ueraciter diligant,
colant, & imitentur (non licet quippe membra ef-
se delicata sub capite spinato) si uerè quæ ad salutē
spectant, discere cupiunt, nam sine eius lumine ni-
hil est in homine, sicut nescire est sine ipso plurima
scire, & sicut illi grandis adhuc restat uia, qui
sine ipsius ducatu cælestem ad patriam peruenire
arbi

INSTITUTIONE.

423

arbitratur. Enitantur filij, ut amicum fidelem, ca-
tholicum, & Deum timentem sibi acquirāt, cui suū
pectus aperiant, cordis sui arcana communicent, a-
nimi secreta committant, qui inquam sibi in prospe-
ris gratuletur (ut scribit Ambrosius) in aduersis
compatiatur, in persecutionibus auxilietur. Heu
quot dicunt uerbis, Tuus sum, cor autem eorum lō-
ge est à te, ita ut tibi obsequi renuant, te toruis etiā
oculis intueantur, & tibi fortè mala non pauca im-
precantur. Quod genus hoc hominum, quæ uè hunc
tam Barbaram morem produxit patria? Quis furor,
impietas? Verè amico uero nulla est cōparatio, (Is
enim est Thesaurus absconditus in agro cordis tui.)
Sicut ueri expertique præceptores uolentes docent
suauiter, inuitos cogunt prudenter, ut discant, ut au-
res adhibeant, lectiones percipiant, & perceptas
reddant, Sic Parentes ueri in nullo desunt filiis, &
obedientes aperte diligunt, benignè alloquuntur, no-
ta sibi plura faciunt, & favorabiliter prosequuntur,
à suis autem præceptis deficientes corrigunt, puni-
unt, uel saltem minis insectantur. Nobis autem est
conspicuum, quòd nemo in adolescentia rectè potest
institui, qui puer existens nequiter fuit aut in deli-
tijs educatus. Salus puerorum, in eorum humilita-
te, O Patres, in Christi imitatione, in cordis simplici-
tate, in mentis puritate seruata, in obedientia, &
animi promptitudine ad bonum constituta est, ideo
ad ea quilibet suos adhortetur, illa ipsorū pectori-
bus imprimat, inscribit, inserat. Difficilè profectò ag-
gressus

gressus sum Prouinciam, sed qui bonæ menti semper occurrit Deus, nos suo lumine dirigat, ut opus suum duce charitate perficiamus. Sapientes omnes consulant, ut genit. ix, si potest, puerū suis, sicut iam scripsi, alat uberibus sic & secundum mensuram laboris erit forma amoris. Et si nutricem aliquā ob causam adhibere opus est, suadeat ut una ex multis eligatur, quæ quandam præferat animi ingenuitatē quæ sit prudens, castitatis amatrix, discreta, ingenio & interna fortitudine prædita, nec nimis blanda in educando, pertractandoq; puerū, nec nimis aspera existat, ne ille insolentiam, aut nimiam timiditatem contrahat, ne inquam adolescens intumescat aut in animo perterritus facile deijciatur, trepidās etiam timore ubi nullus est timor, quod maximum inditium est pusillanimitatis. Qualitates quoq; nutricis in Pueri naturam lac facile transfundit, & defert; Et quia omne insolitum molestiam quandam infert, Pueri in hanc lucem, in has mundi miseras, in hanc lachrymarum uallem ex materno utero prodeunt, de facili ploratum, uagitumq; emittunt, ac si sibi præ sagiret animus, eos natos ad labores perferendos, ad amaritudines hauriendas ad tribulationes sustinendas, ideo eos Nutrices suis demulcent cantibus, frequenti delectatione solantur, illis arident, applaudunt, blandiuntur, quò huius uitæ assuescant incolatui. Inde paulatim domesticos accipiunt mores, & sic eis illud succedit quod dicitur, Ab assuetis non fit passio, & si fit non fit tanta. O quantum per grata est pueris illa in

ulnis

ulnis eorum gestatio, hinc nonnulli, nisi gestentur ploratibus conqueruntur, ac si magnam eis inferres iniuriam & auferres quod suum esset de iure. Quñ fari incipiunt, quum aliorū uerba distingunt, intelligunt, precipiunt, ducuntur ad Ecclesiā, in Vicos, in Plateas, ad consanguineorum domos, ut eos ab aliis discernere, et amare discāt, ut nullius paucāt aspectu. Veri Parētes sunt, qui suis filiis dum indies animo, ac corpore uegetantur, medullitus imprimūt nomen, & cognitionē sui creatoris, uitam, et Passionem sui redēptoris, suauitatē ueri consolatoris, ut Trinitatem in unitate, et Unitatem in Trinitate uenerari, et amare, timere, et colere, et reuereri incipiāt. (Nullus hic egrè ferat, qđ hic aliqua repetā, id enim fit charitatis impulsu,) ut cuncta, quæ possidēt omnium bonorum ascribant largitori, gratias agentes, ab eodem auxiliū iugiter implorare discant. Felices Pueri qui talia in eorum teneris unguiculis à Parētibus didicere, quia à Domino in terris dirigētur, & cum extremum obierint diem, æternam bene uiuendo, & securius moriendo, felicitatem consequentur. Ad confessiones, ad res diuinas, peractio septenio, ad contiones, ad Indulgentias, & ad elemosinas libenter pauperibus dandas inducātur. Veri Parētes, dum in filiis post mortē adhuc sibi uiuere uidetur, enitūtur, ut illos se meliores et uirtutibus præstantiores relinquunt, sed non omnes euadunt, plures. n. onus paupertatis detinet. Hinc Iuuenalis. Haud facile emergūt, quorum uirtutibus obstat res angusta domi. In aliis, quāuis spectatæ indolis existat

DE VERA LIBERO.

res feliciter non succedit, quia Parentes eorum laborant avaritia. Alij in uitijs inuoluuntur, quia pnciosum Parentum eos perdit exemplum, aut malorum iuuerum consortium, aut Mundus suis uanis illecebris, aut Demon suarum tentationum occultis insidijs, aut propria caro impugnans spiritum. Alij probatae fidei à Parētibus impudenter degenerant, & dum ab eorum distant uestigijs, non erubescunt, & dum ab omnibus eorum filij Teneantur.

Veri Patres uerè diligunt filios, ideo eis cum sibi ab hac uita migrare contingit, fideles Tutores eligunt, quibus ipsos credant, eligant & eis spiritua-lem amicum Laycum, aut Sacerdotem, qui feruens in uia Dei eos manuducat & in eorum uocatione dirigat ad Dominum. Gaudeo quòd liberi ingenio præditi in liberalibus artibus uigeant, in scientijs euadant doctissimi, in eloquentia celeberrimi, & in ipsa facundia clarissimi, sed gaudebo gaudio magno ualde, quum eos Christum sanctosque imitari, quum aduersa patienter ferre, cum omnibus media salutis consulere, cum humiliter se in singulis exhibere, quum terrena contemnere, sic per temporalia transire, quòd non amittant æterna, spiritualia sitire, & cælestibus bonis inhiare conspexero. Vere matres sunt, quæ Deum timent, sibi met dominantur, humiliter se habent in singulis, Tranquillam uitam ducunt, Viris suis in Domino subditæ sunt, & deuotione resurgent; hæc tales parient, et educabunt filios,

INSTITUTIONE.

423
filios, quales ipse fuerint. Ideo mater, quæ concupiscit suos esse obedientes, & habere filios, obediat quæ elemosinis deditos, in pijs se exerceat operibus, Benignos, & mansuetos, ipsa mitis benignitate clarescat, quæ humiles, se humilè exhibeat, et quæ feruentes, feruens existat; Hæc enim illis melius exemplis quàm uerbis inseret. Veri parentes sunt qui Deo filios dedicant, in Christo nutriunt, in spiritualibus exercent, sæpe corrigunt, & in eis nullū impunitum omittunt uitium, ne facilitas ueniæ illis incentiuū sit ad delinquendum. Veri Magistri sunt qui libentius Christi, sanctorumque gesta, miracula, Virtutes, & exempla filiorum mentibus, quam, Ethnicorum fabulas, nugas, historias imprimunt, et qui Deo magis, quàm hominibus placere appetunt. Veri filij sunt qui timore Dei Parentibus obediunt eosdem honore pariter, et amore complectuntur & ipsorum mandata, impositiones, & legata fideliter exequentur, et qui eis Deum præponunt, & cæteris; Hinc Hieronymus ad Heliodorum. Gladium tenet hostis, ut me perimat, & ego de matris lachrimis cogitabo? Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, & ad Crucis uexillum siccis oculis euola.

Non sufficit Patribus filios procreare, eis uictui, ac indumento necessaria ministrare, eos ad ludi magistros dirigere, nisi eos secundum legem Domini fideliter erudiant uerbo, & exemplo à uitijs ad uirtutū studia prouocent, ac literis scientijs, quæ hominem
C pluri-

DE VERA LIBERO.

plurimum ornant, decorare studeant. Non sufficit filiis Parentes exterius colere, nisi in omnib. quæ in Deum non sunt, illis obsequatur, illis deferant, eis subueniant, quum opus est, & ipsos uincant patientia. Non sufficit matribus filios in aluo tot mensibus gestare, cum dolore parere, proprio lacte nutrire & tot incommodis tollere, nisi eorum curent salutem, ut eorum uitam pro posse irreprehensibilem reddant, quia pueri sibi consulere nesciunt, ut belluæ sensus sectantur, & rem suam penitus ignorant, discipline frenis compescantur, correctionis calcaribus urgeantur, uirga discretæ uerberationis benè agere compellantur, Nos non præterit illud sapientis dictum. qui parcat uirgæ odit filium, sæpe corripiantur, quum opus est, uexentur ex quo uexatio dat intellectum, & ab omni licentia reprimantur. Quos pudor, uirtutis amor, & sceleris turpitudine non excitat, metus, & pena compellat, & cobibeat, plurimo cibo nimioque somno non utantur, quia aliter teste Gelio hebetiores fient, in desidiam, tarditatemque collabentur, inutiles prorsus euadent annos suos inutiliter conterent, ingenij aciem obruent, uiresque animi simul, & corporis oppriment, Non sufficit præceptori, ut suam exoneret conscientiam, quod plures discipulos habeat, quod primatum inter ceteros obtinere censeatur, quod plures authores exponat, quod etiam publice legat, & quod tot domi contubernales habeat, nisi christianam humilitatem

tem

INSTITUTIONE. 18

426

rem, fidem, & caritatem profiteantur, suo dum fungitur officio. Pueri non apud matrem sed apud magistrum semper uescantur, pleno nunquam uentre à mensa recedant. Optima hereditas filiis, omnique patrimonio præstantior uirtus relinquitur. Præuis, ac discolis non associantur, turpiter non ludant, uagari non finantur, post solis occasum extra Domus limina non morentur, cum illis uersentur, qui eos possunt, reddere meliores, & ad Deum dirigere. Cum correctionis uerba non sufficiunt ad uerba deueniatur, quò nates contumaciæ penas luant. Sic in dexteram uirtutis uiam relicta uitiorum sinistra redibunt, Deteriores pueri omnes fiunt licentia, Ideo instar equi freno indigent, & calcaribus. Ignauus uerò ne calcaribus quidem excitatur. Qui suos instruunt liberos nobiliores sunt his, qui filios tantum genuerunt. eorum magistros sæper non minus perfectiores in uia Dei, quam in literis doctiores eligant, qui inquam sint humiles, mites, deuoti, discreti, & prudentes existant, qui uitia detestantur, Christi uestigia sequantur, & suo laudabili exemplo alios à Demonum faucibus eripiant. Pueri à teneris annis incuruentur, hilaris eis facies numquã ostendatur, iugiter deprimantur, moneantur, in disciplina cõtineantur, & cum opus est, aliquando ad literas munusculis alliciantur. Heli Sacerdos Deum offensum habuit ob uitia filiorum, nec impunè tulit; Tales insuper sint parem

C 2 tes

DE VERA LIBERO.

res ante oculos filiorum quales eos esse peroptant, eos Christianis non gentilibus appellet nominibus.

In Decennio saltem illos in urbibus statuam illustribus, quarum splendor, & amplitudo eorum animis plurimum promouet, et probatis, diuinoque amore succensis Viris erudiendos credant; Talium enim contubernia illis proderunt, ibi formabitur tener animus, pectus ad uirtutes capescendas accendetur, cor in uia Dei dirigetur, mens bonis moribus imbuetur, totus homo interior exhilarescet, spiritus euadet prudentior, anima renouabitur, & in sui caelestis sponsi tandem euolabit amplexum. Haud facile uerbis assequi possem, quantum prodest discipulis probatae fidei, laudabilis uitae, et pia mentis magister, & eius castis exemplis interesse, quia plus ex moribus, quam ex uerbis utilitatis hauritur, & ut dici solet plus mouent exempla, quam uerba. Dum cum Praeceptore cohabitant iuxta Boetij. Senecae, & Polemij consilium magis obseruantur, instruuntur, puniuntur, si aberrant a uirtutis tramite, reducuntur, acciuntur, ac excitantur, ad maiora promouentur & eos saepius interrogare poterunt, dum ab ipsorum latere praceptorum non discedunt. Nulla enim ars absque magistro discitur. Festino igitur gradu optimi praceptoris, o Feruentes, & discere cupientes discipuli terrantur limina. Magistrum non minus ament discipuli, quam ipsa studia, non minus honorent quam parentes, quum ipse sit pater mentium, non minus timeant quam Dominum, cum in ditione eius cuncti

INSTITUTIONE. 19

sint positi, et ubique assurgant uenienti, cum summa (si uerus est magister) dignus sit reuerentia, & ut magnum ipsorum benefactorem ubique laudibus prosequantur, Ei ut superiori humiliter subesse studeant eius honorem defendant, & tueantur, nec aegre ferant si saepe eos corripit, increpat, arguit, obiurgatur magister, & deprimat, Pro comperto enim habetur, cuncti emunctas naves habentes exploratum habent, omnibus est conspicuum, quod prona ad malum est aetas puerorum, ac adolescentium quod facile, nisi diligenter obseruentur. semper in deteriora prolabantur, & negligente illorum curam praepceptore in spiritualem frequenter ruinam detruduntur, Mendacij allocutionibus, iurgiis, detractionibus, & foedis sermonibus uti non permittantur, a muliebri uilicaque conuersatione arceantur illi sibi comites adhibeantur, quorum salutis monitis spectantia discant ad salutem, et imitatione proficiant sic ad bibendum propinetur pueris, ut aqua illis magis, quam uinum temperetur, & ut rei diuinae libenter quam saepissime intersint moneantur. Liberos plurimum eneruat interius parentum domesticorumque indulgentia, propter quam consuetudinem facilius irascendi, quum sibi deest quae optant, contrahunt, emolliunt deliciae, fascinant blanditiae, seducunt illecebrae, quibus si priuantur tristitia conficiuntur. Hinc tutius est pro uiribus eniti, ut a teneris pati discant, incommoda sustinere, reprehensiones perpeti, laboribus domesticis exerceri a nullo hilari facie conspici, ab

DE VERA LIBERO.

omnibus obseruari, ab aliquibus dum errant percuti. Horum nonnulli laudibus, ac muneribus alij minis ac uerberibus, magis discunt, & ad literas exultantur, discreti in hoc erit conspicua præceptoris prudentia. Assiduò contumaces, & discolos cedat uerberere, corrigat monitu, adhortetur consilio, importunitate instet, clamore compellat, liuore nates conficiat uirga utatur, & baculo, si opus est, qui instructionem suam, & docendi, quam aggressus est, prouintiam, sibi honoris esse appetit.

Persarum leges dictabant inter cætera, ut Parentes filios erudirent, aut alijs probatissimis erudiendos traderent, ne improbi euaderent, ne de uicio in uicium corruerent, ne scelerum sordibus Patriæ candorem inficerent, labefactarent, perfunderent, & denigrarent, & qui ex parentibus liberorum curam negligeret publicè mulctabatur. Heu quam indecorum absurdumque est Christianis in hoc ab ethnicis superari, ab infidelibus uinci, & minoris condicionis, quàm illi sint, effici, ac si inanis esset fides nostra, sanctorum prædicatio, & sacrarum literarum consilia. Illorum sobrii, mites, mansueti, ac Vigilantes erant pueri, quia hi suos parentes talem uitam ducere conspiciabant, Nostri uerò sepe Bachanaliter uiuunt, comestationibus oblectantur, ac ebrietatibus, ociari cupiunt, corpori inseruire satagunt, & uentrem pro Deo nimium se ipsos amantes toto corde uene-

ran-

INSTITUTIONE. 20

227

rantur, in uarijs ludis tempus conterunt, & seiuicem perdunt, quia talia in Patribus intuentur, & à perniciosis eorum exemplis, apertum ad damnationem aditum hauriunt. Non sufficit quòd præceptor literario in ludo bonis pueros instruat moribus, timorem eos Domini edoceat, & ad Christi imitationem ardentè adhortetur, nisi, & domi eosdem instruant parentes, sed (proh dolor) quot ex parentibus omne filiorum onus præceptoribus relinquunt, ipsorum curam penitus paruipendentes, & si illos improbis, discolisque commisceri blasphemare, mentiri, inaniter iurare, & contumelijs in alios insurgere conspexerint, sed qui liberorum peccatis ignoscendum censent, illorum peremptores esse conuincuntur, eos namque perdunt, Demonis imolant, & in eorum laqueos detrudunt seipsos seducunt, pro illis reddent rationem Altissimo, qui eorum de manibus suis animas requirit, ut sacri omnes testantur doctores.

Ueh his qui filiis præsumunt nisi bene præsent, nisi præsent ut uerbo, ac exèplo illis profint, nisi eos uirtutis tramite ad Deum direxerint, nisi pro uirib. conetur, ut secum salutis portum consequantur, nisi eos immaculatam Domini legem edocuerint, sicut uenerabiles Sacerdotes Somaschi sanctæq; Societatis Iesu, spiritu feruentes, charitatis ardore succensi, Christi inconfusibiles operarij, summa deuotione præditi, pietate conspicui, & non minus Christianis moribus, quàm sacris literis refulgentes, pluribus

C 4 in

DE VERA LIBERO.

in ciuitatibus pueros suæ fidei creditos benè beatèq; uiuendi normā, et cādidiſſimas litteras edocere solent pro Christi gloria. Idem, & Mediolani alibi que locorum nonnulli layci Deum timentes, uitæ nouitate uicantes, Dei honorem, animarumq; salutem sitientes exequuntur in festiuis diebus, omnes ad ipsos confugientes publicis in Ecclesiis in his quæ Dei sunt instruunt, Christianas (ut dicitur) scholas aperiunt, uiam salutis detegunt, ex plurimorum pectoribus uitia eliminant, errantes multos ab erroribus retrahunt. Ad idem amore Christi suauiſſimi quædam honestate, pudicia, caritate, ac deuotione decoratæ, ut puellas laudabiliter instruunt, feruenter se accingunt, quod spiritalis non mihi parum consolationis affert. Parentibus suadeo, ut ad eos liberos suos dirigant quia sic non minus mentium, quam corporum patres esse cognoscentur. Sunt, & Mediolani, alibi que miris laudibus efferenda, ex Sacri Tridentini concilij decreto Seminaria, probatæque probitatis Accademiæ, in quibus pueri mirum in modum instruuntur, laudetur Deus de tã grãdi munere, quod Christianæ reipublicæ contulit.

Filius monitis non obediens, sibi datis non parës consiliis, Dei Seruis non obsequens, morem non gerens maioribus, præceptori subesse nolens, non insistens libris libenter, deuotione carens, ultrò in uitis permanens, se à uirtutibus auertens, donec emendetur, acriter cedatur, aliquando sibi obsonia sub-

INSTITUTIONE. 21

subtrahantur, plusquam cæteri, donec redeat ad cor & rescipiscat uigilare cogatur, alijs dimissis sæpe retineatur, à lecto prius surgere cõpellatur, recreatione priuetur, importunè minis terreatur, ut talis sibi uexatio det intellectum, & si de magistri acerbitate rigoreq; domi conqueritur, ne insolescat mentis timore, Genitor addat uerbera uerberibus, minis minas, quicquid egit magister probet, & eum sibi proponat, qui ipsum æternis potest per Demonum manus torquere cruciatibus.

Filios liberos esse censeo, quibus ex bene institutis contingit nasci parentibus, qui eos uerbo, & exemplo iugiter ad meliora excitant, ad uirtutes uera hominis bona inducunt, ad litteras adhortantur, qui in omnibus sibi consulunt, & eos à uitis retrahunt. Sicut Sapiens, humilis, mitis, & obediens filius gloria, & honor est Parentum, sic contumax, & inobediens illos dolore conficit. Patri liberos suos laudabiliter instruenti suam Deus confert gratiam donat præmia, largitur gloriam. Cato Ciuis ille Romanus insignis, filium suum ita honestis studijs imbuuit, ut ad eadem complures alliceret. Aristides filium tot uirtutibus decorauit, quod earum cumulo coeuos omnes superabat. Quidam Atheniensis ita filium obseruabat, ut ne pedem quidem ipso nesciente efferre posset, illius iugiter explorabat egressum, uitam discutiebat, trutinabat mores, pronitatē conspiciebat, in cunctis illi consulebat, minima non negligebat, ne ille paulatim deflueret. Hinc is talis euasit

euasit literarū ac morum candore, ut Dijs indefinenter gratias agere non desisteret, quod tali eum patre ipsum dignum reddiderint. Nonnulli principes liberos suos non solum liberalibus sed etiam Mechanicis artibus instituebant, ne fortuna eos penitus deprimeret, ac funditus obrueret, & quod plus est suorum præceptores filiorum exstiterunt. Et Christiani patres filiorum curam, tam de facili seipsum exuunt, ac alijs tradunt, (& quod peius est) oues lupo saepe committunt, ut ipsa pluribus patuit experientia. Nam aliqui Pedagogi Leonidem Alexandri Magni magistrum imitantes filios sibi creditos uitijs potius inuoluunt, quā ornent uirtutibus. Quid prodest tibi liberos (quos erudiendos suscipis) literis instituire, si eosdem sordibus maculas immunditiae, malis moribus corrumpis, fædis repleas cogitationibus in criminum baratrum detrudis, & Demonibus interius diripendos prodis? & quia & nos pueri fuimus, ac ferulae manum subduximus, pueriliaq; gessimus, sic filios cū errant puniamus, ut eis cōpati non desistamus. Ad eos percutiendū uirtutis amor, zelus Dei honoris, & eorū litteralis spiritalisq; profectus desiderium, non ira, non animi passio, non indignatio præstat. Sic consulemus filijs, indiscretus rigor à nobis eliminabitur, fulgebit discretio, uirtutē inferes puerorū pectorib. insertamq; custodies, dum te hominē ac hominis patrē & magistrū esse cogitas, Vtilius est, O, Pater respublicæ te mori sine filijs, quā si eos haberes, & post te improbos relinqueres. Filij ad iracundiā, desperationē, animiq; amaritu

dinē non prouocentur, nec discipuli. Absit acerbitas passionis, adsit disciplina discretionis, nec desit eis stimulus emulationis, ut magis proficiant. Leuia aliquando peccata dissimulentur, grauia non impune ferantur, sed puniantur, quia aliter deteriores fierent impunitate, curent parentes & magistri, ut filij semper laudabiliorem uitam ducant.

Adeo pueris habenda est reuerētia, ac si cum eis loquendo, & operando essemus in sacrarum Virginiū cænobio, quia quicquid dictū, aut factū est turpe, confestim hauriūt. Moneantur ante omnia, ut Deum ament, colant, & timeant, ut diuina præcepta, & positua inuiolabiliter custodiant, ut sacrosanctā Romanam Ecclesiam uerum aliarum caput humiliter uenerentur, ut sacrum saepe euangelium purgatissima intētionē præ manib. habeāt, ut sedi Apostolicæ sacrisque obediāt cōcilijs, ut sciant quod si omnis potestas a Domino Deo est, tanto magis Ecclesiastica, ut maiores natu. ac dignitate reuereātur, ut nouissima hominū iugiter cogitent, ut peccata perhorrescāt, hæreses detestētur, ut catholicæ ueritati inistant, uirtutibus insistant, prosperis non tumescāt, nec frangātur aduersis, salubria senum, & quorūcūq; exequantur consilia, omnib. prodesse, & nulli obesse studeant, ut sēper uincant in bono malum, ut Græmicam spiritualem uulgari stillo aditā legere non dedignentur, ut soli Deo placere conentur, ut qui ad annos discretionis attingerint, honore se inuicem præueniētes, saepe cōfiteātur, sacrāq; sūmāt eucharistiā, ut
pri-

DE VERA LIBERO.

primitiuam Ecclesiam spiritus feruore pro posse ueraciter imitentur, ut Demonum suggestionibus resistant, ut spiritualia possidere, diuina degustare, terrena despicere, caelestia desiderare nitantur, interniq; hominis curam gerentes sic transeant per bona temporalia, quod non amittant aeterna, & ut Parentes diligant, scientes quae, & quanta in illis alendis educandisue pertulerint, eis subueniant indigentibus, & obediant precipientibus, modò aliquid contra Deum non iubeant, quia tunc oportet magis obedire Deo aliter statuenti, quam hominibus.

Taceant insuper pueri coram maioribus, eos reuerentur, obseruent, eis assurgant, & in rebus honestis obsequantur. Parentes, ut iam scripsi, sed decies repetita placebunt, filij ad iracundiam non prouocent, quia filio nil perniciosius esse potest iusta parentum imprecatione, & quia iusto dei iudicio, quilibet à proprijs filijs recipiet, quae suis ipse parentibus intulerit, ut illius patet exemplo, qui per scalam gradus traxit Patrem, & ipse permittente Deo tractus fuit à filio. O contumaces filij in Parentes, eos posthac honorate, ut sitis logeni super terram, ueb qui inobedit patri, & exasperat matrem, faelix qui honorat parentes suos, quia suis iocundabitur in filijs, in die orationis suae exaudietur, & superueniet sibi benedictio à Domino, ut ait sapiens. Cymon Atheniensis translatis in se patris uinculis in perpetuum carcerem detrusi, cum defunctus esset ad sepulturam redemit. Filiam apud Val. Maximum,

Matrem

INSTITUTIONE.

23

Matrem in carcere inedia necandam proprio lacte pauisse legitur, quod matri pœna remissionem, & filiae non parum obtinuit praeij. Et qui homines in pietate erga parentes imitari respuit, Ciconias saltem imitari non renuat, quae (teste Plinio) cum senio conficiuntur a suis mutuo pullis aluntur. Sed heu quot filij conuitijs impugnant Parentes, iurgiis confodiunt, persequuntur cõtumelijs, percutiunt pugnis uel baculo, eorum non exequuntur legata, eorum animabus elemosinis, ac orationibus, missarumq; celebratione non subueniunt, & nil non mali perpetrant in eos suggerente Diabolo hostiliter insurgentes, ideo peruigilem curam parentum suscipiens in hoc quilibet filiorum sibi consulat, ne in Dei omnipotentis indignationem incidat, ne nigro ingratitude lapillo notetur, contemnatur ab omnibus, damnetur à Deo, illudatur à Diabolo. Moneantur demum Pueri, ne corpori inseruiant, ac sensibus, ne se delicijs obruant & ne carnis (si uerè discere cupiunt) sectentur illecebras, quae mentem obnubilant, effeminant animum, eneruant memoriam, obtundunt cerebrum, & intellectum tenebris quandãq; caligine interna obruunt.

L29

QUOD VIRTUS COETERIS PRAE
poni, in eaq; potissimum puer exerceri debeat
pro Christi gloria.



Apientum omnium pertritam ha-
bemus sententiam. Virtutem ipsam
esse vitium fugere, laudabilibus mo-
ribus decorari, à mundi illecebris
abstinere, irreprehensibiles se co-
ram omnibus exhibere, Deum ip-
sum Opt. Max. summa pietate prosequi, in eodem
singulos diligere non uerbo & lingua, sed opere &
ueritate, & immaculatum se custodire ab hoc saeculo.
Id autem facile consequuntur homines, si eorum
Parentes post legitimè inter eos contractum coniu-
gium habita Ecclesiastica benedictione se inuicem
cognoscunt in timore Domini (Hinc enim felix pro-
les procreatur) si suscepti filij piè diligenterq; edu-
cantur, si post septenium saltem deuotis, doctisque
praeceptoribus erudiendi traduntur, si cum litteris
simul Christianis moribus imbuuntur, si non minus
in Dei timore ac dilectione, in uera pietate, ac deuo-
tione, in perfecta humilitate, et sui cognitione, quam
in liberalibus artibus instituuntur, & realiter ab
his, qui eis praesunt ad Deum uerbo & exemplo di-
riguntur. sine his namq; pueros & adolescentes hu-
mana inflant scientia, & sic quae media esse debe-
rent ad uitam spiritalem mortem inferunt.

Habeant Parentes coram filiis modestia in om-
ni-

INSTITUTIONE. 24 130
nibus rationem, quod non faciunt qui in eorum con-
spectu foetorem redolentia, obscœnaq; uerba pro-
ferunt, in honestè uxores attrahant, in propatulo
deosculantur, turpiter intuentur, impudice ample-
xantur, idq; ex consuetudine ab eis pro nihilo habe-
tur, licet illud uirtus arguat. Si aliqui impudentes
quia coniuges sunt, id sibi licere asserunt, his respon-
deo. Cur qui sanæ mentis sunt, & honestatis amato-
res id quod tam uobis licere asseueratis erubescunt?
& pro uiribus enitentur, ne quum hoc aggrediun-
tur ab aliquo uideantur, & rectè facta luci omniumq;
oculis soleant exponi, ut sacrum decantat euange-
lium? Si Ethnici moraliter uitam degentes mira-
ueruncundia ducti ad hoc accedunt remotis omnibus,
cur id audebit Christianus spectante filio? Si hone-
stum coniugum adducis animum, & ego malum
eorumdem tibi adduco exemplum, actumq; turpissi-
mum. Apud quosdam Gentiles alicui lasciuum, ioco-
sumq; publicè uerbum cum Uxore non licebat, & aliter
facienti multa indicebatur grauissima, & Christianum
non pudebit aliorum oculis non erubescere? Nimis te-
naciter tenellæ inhaeret ætati quod turpe ipsamet fie-
ri cospexerit. Vix fari incipiunt pueri, quod qui eo-
rum ueri sunt Parentes illos omni cura, sanis monitis,
& consilijs ingenua educatione, præcipua eruditio-
ne, decenti exemplaritate, & præclara instructio-
ne prosequuntur. Minis non parcunt nec Virgæ (si opus
est) à blâdis uerbis non desistunt, si oportunitas exi-
git, munuscula non denegant, si expedit, quod ad uirtu-
tes, ad bene beateq; uiuendi disciplinam, ad litteras ca-

DE VERA LIBERO.

peſcendas, ad doctiſſimorum, præſtantiumq; uirorū imitationem, ad uiam ſalutis percurrendam paulatim inducantur, urgeantur, accendantur, excitentur, & promoueantur. Filiorum ludi ſint recreationis grati. modò à litterarum ſtudijs nimium non defleſtant, non deuiant, non deſiſtant. Inſtruantur, ut pudicam uitam degant, nil quippe pernicioſius illis poteſt contingere, quam in primis annis libidinibus pollui, nam carnis uoluptate deuicti litteras perhorreſcunt, illos fugiunt, qui ipſos poſſent redde re meliores, liberales artes negligunt, uirtutes ueras, ne quidem à limine ſalutare uidentur, & deguſtare nequeunt, imò indies hebetiores ſunt, magis enervantur, plus laborant deſidia, conficiuntur ignauia, tabeſcunt ocio, undique ſcatent erroribus, torpent accidia, & ita obdormiunt interius, ut euigilare neſciant, dum cera mollis eſt, ei quicquid uis potes imprimere. Dum pueri in flexibili ſunt ætate quocunq; uis ducuntur, uel ſaltem trahuntur, dum ergo uelint, nolint obediunt opus eſt, eos ita dirige quòd uirtutis iugo ſubditi ab ipſius tramite amplius deuiare non audeant, ne neglecti ab ineunte ætate deprauentur, & deprauati, te multipliter cōficiant, & afflictionibus tua in ſenectute confodiant. Veri patres ſunt non minus patres mentium quàm corporum, conſulunt non minus animæ quàm carni, filijs non minus uenantur uirtutes quàm diuitias ſpiritualia quàm temporalia, & æterna quàm peritura, quia eorum magis ſalutem ſitiunt quàm commodum.

INSTITUTIONE. 25

modum. Tales proſectò euadunt liberi, quales parentum eos reddit industria, ſedulitas, & diligentia: & ſi qui dignoſcuntur improbi, id parentum culpa, negligentiaq; aſcribatur, aut uitio; ſicut & terre uitio triticū aliquando in lolium conuertitur. Apud eum, Cui in hoc Tractatulo non ſatisfacio, me mea excuſet infirmitas, quæ ita grauis eſt, quòd timor mortis conturbat me, quòd mei iuris uix me eſſe ſentio: hoc tamen aggredior grauius decumbens, ne uitam penitus ueluti pecus ſilentio tranſeam. Et quia nec tali, tamque ſuauiſſimo hospite inſalutato cum cæteris mihi amicitie uinculo coniuñctis hinc migrare non audeo, nec quidem licet, nec quidem debeo. Ei igitur in conſpectu atriſſimi, ac cæteris cordis radicibus chriſtianum uale his meis dixiſſe uellem, ſi extremum nunc diem mihi obire contigerit. Bene ualeant ergo omnes in domino, & cum pro me feruenter oratum habeant. Amicis, & inimicis beatitudinem illam immortalẽ omnium bonorum aggregatione perfectam, quantum poſſum, & debeo, peropto. Nunc ad rem, quam omiſimus, redeamus.

Veros patres, & magiſtros complures multis in locis cognoui, non nullosq; eccleſiaſticos, qui paternam gesserunt, autem gerunt, ut ipſe gero, curam nepotum, eos in domino ſpiritualiter diligendo. Quò ad laicos, meæ nunc inter cæteros ſe menti offerunt, Magnifici, ac illuſtres Mediolani doctores utr. Iu. peritiſſimi Hieronymus Crottus Comes &

DE VERA LIBERO.

Orator eximius, Iacobus Philippus Brambilla illu-
strissimi Prætoris Vicarius accuratissimus; Ioānes
Baptista Homodeus Prouisionis Vicarius discretissi-
mus, Ioannes Baptista Porrus ex spectabili domino
Octauiano, et domina Franciscā sūma honestate præ-
dita, uiri uirtutibus undiq; conspicui. Michael à Ba-
locho eiusdem professionis Vercellis celeberrimus,
Andreas Camutius ex Lugano Physicus, rarus Pa-
pia lector, & uir prudentissimus; Ioannes Baptista
Fontanus Taurisij medicus Deū timens, & peritissi-
mus, Frāciscus Resta, Gabrius Stremitus, Marcus
Fagnanus, Ioānes Dominicus Curtus, Bartolomeus
de Federicis, Alexād. Alpherus, Frāciscus Bernar-
dinus à cruce, et Stephanus Medonus cū cæteris suæ
uenerabilis societatis Mediolani: Angelus Barbo-
nius Bergomēsis Venetijs, Carolus, & Daniel Cachi-
ranus in urbe Astēsi, Augustinus Planta Lugani,
Vincentius Algarottus, Franciscus Montanarius,
et Geraldus, Camillusq; Capellus Veronæ, oēs Ciues
egregij, nobiles sanguine, nobiliores fide, & nobilissi-
mi morum præstantia. Quò ad ecclesiasticos lucer-
na illa ardens sup. Cremonæ candelabrū posita (Re-
uerendissimus inquā ille Sfondratus in humanis, di-
uinisq; scientijs clarissimus) ut luceat omnibus, qui
in domo sunt illius Diocesis, et Ecclesiæ. Ille uir nū-
quā satis laudatus Terdonēsis episcopus sacris in li-
teris peritissimus, Brixianusq; Antistes integer uita
litterarūq; cultor eximius, qui tres tā feruētes Præ-
sules tā feliciter suæ exererunt Seminaria; Petrus
à Carezana prior sūma pietate decoratus, Damianus

INSTITUTIONE. 26

131

Birontius, & Dominicus Veggius Vercellis Canoni-
ci, Manfredus Zoppus, Albertus Vallarius, & Mi-
chael Dalba Casalis Montis ferrati Canonici, Vincē-
tius Ciconea Reuerēdis. Vicentini Præsulis Vica-
rius digniss. ac Albertus Linus Christianæ profesio-
nis cādore insignis ambo Veronēses, Clemens de Fa-
bricijs feruens Spoleti Canonicus; Ioānes de Clericis
Terdonēsis, uera deuotione, Deiq; timore præditus,
Primus re, et nomine litterarū, ac morū claritate
cōspicuus, et Presbiter Ioānes de Comitib. discretis-
simus, Ioānes Paulus Papiensis laudabilis sancti Sy-
monis Academiae Rector uigilantissimus, Laurētius
Candianus Curatus indefessus, Hieronymus Rainol-
dus Canonicus laudib. iugiter prosequendus. Fabius
Pagnanus Gorgōzola Præpositus colendissimus, An-
tonius de Prato Belizonæ sacerdos uenerabilis; Bap-
tista Morefinus Lugani Canonicus deuotissimus, &
Præpositus Vigleueni olim Cantor ex Triuillio, om-
nes ecclesiastici in fidelium agmine præstantissimi,
puerorū ad ueras uirtutes promotores, ac in ijs, quæ
Dei sunt clarissimi. Veras quoq; matres feruētissi-
mas p. Italiā discurrens passim reperi, quæ proprios,
uel alienos filios erudierūt in Domino, nūcq; etiā pu-
blice cū præsulū consensu in festiuis præsertim die-
bus in Ecclesijs indesinenter instituunt: Sed illas si-
lentio inuoluo breuitatis studio, et ne reliquæ mulie-
res liuore ductæ eis inuideāt; femineus nāq; sexus
maiori ex parte inuidia facile laborare conspicitur.
Locus, in quo uitā ducūt pueri, eis plurimū sæpe obef-
se, uel cōferre cernitur; Ideo qui possūt parēteseos a-
pud præceptores Deū timētes in p̄claris. Ciuitatibus

DE VERA LIBERO.

aut celeberrimis oppidis, aut in spiritualibus Academiae statuunt. Ibi cum candidissimis litteris, christianae professionis imbuantur consiliis, erudiantur dogmatibus, instruuntur praecipis, instituantur exemplis, & christianis uirtutibus decorantur; quae sola uerae uirtutes esse censentur. Ideo qui eis polleat pueri, & adolescentes, fundati sunt super firmam petram: hinc non timent à uerbis impiorum, tentationum uentos non uerentur, & persecutionum imbribus non pauescunt; Hi omnibus prodesse student, nulli inferunt iniuriam, Deo fideliter inseruiunt, omnibus se mites benignos, & humanos exhibent, cunctos patienter ferunt, singulis quadam morum suauitate, laudabilis conuersationis dulcedine, & uera cordis mansuetudine sese amabiles praestant. Sic chari sunt Deo, & hominibus, sic eorum parentes plurimum merentur, sic ab eis uere colitur altissimus, expurgatur anima, et proximus spiritaliter edificatur; Sic uirtutes florēt, boni mores clarescunt, illustrantur familiae, confunduntur demones, proprii sensus in Christi obsequium rediguntur, eliminantur uitia, respiscunt homines, letantur Angeli, glorificatur Deus; sic idolum amoris proprii diruitur, humana prosternitur superbia, antiqui serpentis iugum excutitur, deteguntur laquei, euidentur retia. Sic homo interior in dies renouatur, ad propositum nobis certamē curritur, quae sursum sunt, quaeruntur, mens erigitur, spiritus eleuatur, à terrenis cor auellitur, mundatur conscientia, per his diuino amore succeditur,

INSTITUTIONE:

232

animus celitus illustratur, uera agitur penitentia, peccatorum imploratur, & obinetur indulgentia, caelestem scanditur ad gloriam, militans reformatur Ecclesia & uiatores desiderabili comprehensorum copulantur consortio, Per Christum Dominum nostrum.

Quidam non minus diuina, quam humana sapientia praeditus parentibus consulere solebat: ut liberos christianis, honestisq; nominibus nuncuparent. (Plurimum enim id decoris continet) & non gentiliū, quod summae leuitatis in aliquibus, et singularitatis est indicium. Si Christiani sumus, quae conuentio lucis ad tenebras (nam filij lucis sumus) Christi ad Belial, & candidissimae fidei nostrae ad falsam illorum Religionem à nobis penitus eliminandam? Solebat & consulere (quod etiam ipse consului) ut eosdem filios post septennium egregius in ciuitatibus apud probatos fidei uiros constituerent, quia praclarissima urbis splendor non mediocriter decorat liberos, eisdem adauget gloriam, ad insignes titulos, ad honores, ad summas saepe dignitates ipsos praemouet. Hinc complures humiles suas erexerunt, illustraruntq; familias, & ad ipsorum sectanda uestigia alios excitarunt. Consulebat tertio, ut suos bonis artibus, uera religione, laudabilibusq; moribus natos instituerent, quia sic paulatim euaderent probatissimi, & quia parentes filiis nulla certiora, firmioraq; uitae praesidia suam exonerantes conscientiam parare possunt: de illis namq; Deo reddituri sunt rationem. In teneris annis, non in prouectiori etate

DE VERA LIBERO.

genitores iocundissimi literarum, uirtutum, & bene uiuendi iacienda sunt fundamenta. Tunc profecto filij facile laudabiles, honestasque impressiones admittunt, & facilius diriguntur, quam in adolescentia, quæ non bene prius erant ita prona est ad malum, præcepta ad uitia & in illo sanguinis æstu feruens ad scelera; ita ut non facile, ubi uolueris, postea reprimatur. Si diuites estis uos parentes, filij redditibus uestris uirtutibus se dignos reddent (improbis enim filius indignus est etiam pane, quo uescitur). Si pauperes estis, quod patrimonium exuperantius, tutiusque uirtutibus ipsis, quò inopem possint defendere uitam, eis relinquere potestis? Si filij sunt formosi, quid decentius eorum uirtute potest tueri formositatem; si deformes, quid efficacius uirtute eorum potest deformitatem decorare? Si eos principum familiares fieri concupiscitis, quid facilius uirtute ad hoc eos potest promouere? Si eorum mortem pertimescitis, quid potest, nisi, uera uirtus eos immortales reddere? Si ne diripiantur, formidatis, cui uirtus dirptioni est obnoxia? nulli utique, ut ipsa patet experientia. Si uos parentes estis mali, ut filij uestri in uirtutibus perfecte instruuntur, studeatis, quò eorum candore uestra ab hominum memoria citius diluatur nequitia. Si boni idem satagite, ut tales euadant, quò tam bonis digni habeantur parentibus. Si eis summa peroptatis, ut summa de se præstent efficiatis. Quid uobis prodesset, si filij uestri sorte tota regna obtinerent in terris, si uitis undique infecti, regnis indignè censerentur.

tur

INSTITUTIONE. 28

133

tur; si seipsum uirtute animi, ne dum sibi subditos regere nescirent: si regna ipsa prudenter non tuerentur; si uicio daretur à populis, quicquid ab eis fieri uideretur; si demum à cælesti regno eliminarentur, si ad diaboli regnum, ut tot eius membra, potius pertinerent; si infamia eorum uita perfusa denigraretur; si undique ob eorum scelera sibi pararentur insidiæ; Si uos iugiter tristitia conficerent, & si in æternam damnationem post huius uitæ cursum detruderentur?

Sicut sapientia filij est parentum gloria, ita eius turpitudine horum est confusio. Quis nollet filios suos (nisi dementia laboret) cunctis amabiles intueri? Quid nisi uirtus, & uera Christi, sanctorumque imitatio eos amabiles reddit? Quis naturali amore in filios non fertur; si boni sunt, digni existunt, ut amentur, si mali, amari non merentur, et eos amantes parentes ipsorum uitia amare censentur, et quid hoc esse potest impudentius? Ad hæc si uirtutibus fulgent filij, miris ab omnibus laudibus efferuntur, omnes eis cædunt, omnes eorum habent rationem, eos cuncti muneribus, & reuerenter adeunt, omnibus possunt, ut ita dicam, precipere, nil non facile in singulis obtinent, eorum præces in præceptorum uim transeunt, eis nullus se denegare nouit, ab eis quamuis nihil haberent, omnia possidentur. Quid dulcius horum parentibus potest contingere? Quid auribus suauius hauriunt? si autem uitijs deturpantur, ubique de his male audiunt parètes, eos subsannari, derideri, declinari, odio haberi, insequi, & uitari.

D. 4. con.

DE VERA LIBERO:

conspiciunt; nullus fidem eis solet adhibere, nullus compatitur, si quid patiuntur, nullus subuenit, si laborant inopia, omnes deserunt, terga uertunt, & digito, ut in famia dignos, indicant. Quid parentibus infelicibus hoc potest accidere? quid magis interius conficere? quid amplius dolore torquere? quid mentem plus ipsorum confodere? Tutissimum ergo est a teneris unguiculis filios uirtutibus dedicare, in eis alere, illis realiter decorare.

Virtus præ omnibus est in filiis expetenda, quia magno ubique precio uirtus extimatur, ditat pauperes, humiles præclaros reddit, immortalis æternaque habetur, & suos etiam inimicos, teste Plutarcho, ad se amandum allicit. Radices quidem uirtutum, o fili, resperse aliquibus amaritudinibus sunt, sed earum fructus summa homines iocunditate perfundunt. Honores, gloria, dignitates, & opes facile sine uirtutibus elabuntur, fugam arripiunt, & possidentem deserunt, quia hæc in fortunæ ditione cuncta sunt posita, si uirtus simul adest, quæ fortunæ in omni re, et ubique dominatur, perstant, augentur, quæ recedant, nesciunt, in æternos, cum hinc migrandum est, honores, gloriã indeficientem, in opes permanentes transeunt, quid non efficiunt insuper uera uirtute præstantes? Si ueris, o fili, uirtutibus inbias, si earum te oblectant studia, si liberalibus te artibus occupas, se uitia omnia detestaris, si à seculi te reprimis illecebris, si tibi met dominari niteris, si Christum imitari studes, si humanitatem uitæ desideras, nil aliud te monere possum, ut facias, quæ

INSTITUTIONE.

29

134

ut in dies feruentiusque ad id te accingas, quæ facis, te ipsum in uirtutis exemplum tibi propono, tua, quæ à domino primitus hausisti desideria, sapius intuere, ut tot tibi in uia Dei sint calcaria. In hoc non solum opusculo de illis loquor uirtutibus, quæ alio nomine humanæ scientiæ nuncupantur, sed de illis præcipue nostra tractat intentio, quibus ueri Christi amatores, & imitatores effulgent, & quibus interior homo à proprijs animi passionibus, & inordinatis affectibus, & obnoxijis cogitationibus expurgatur, ut expurgatus in caelestis sponsi amplexum uera euolet contemplatione. Ad tales uirtutes (quibus spiritus noster Diaboli iugum excutit) omnes liberos adhortor, ut in eis ipsorum inardescat animus, cor fideliter exerceatur, & mens iugiter promoueatur. Quid enim prodest illi humanas callere scientias, cui desunt humilitas, deuotio, charitas, & patientia? Qui uiua fide caret, firma spe, & humili sui cognitione; qui bene facere, & mala pati pro Christi gloria renuit; qui à proprijs abducitur concupiscentijs, qui de facili omnibus irascitur, cæteros contemnit, & sibi nimium placens interius intumescit? Felix qui corporis, & animi uiribus pollet, felicior, qui Dei, ac naturæ munera non negligit, sed eadem rectis studijs, bonisque artibus excolere nititur; ne suo conditori ingratus esse uideatur.

In illis se quilibet magis exerceat scientijs, ad quas se magis pronum esse intuetur. Hoc & paren-

DE VERA LIBERO.

tes obseruent, ac præceptores, ne otio filij torpeant, neue tabescant desidia, aut perspicaci existentes ingenio, mechanicis detineantur negotijs; aut ad ea promoueantur studia, quæ eorum penitus natura respuit. Filiorum, igitur parentes, & discipulorum magistri perfecte spectent ingenium, naturam diligenter discutiant, & pronitatem ad unguem matura consideratione percipiant. Bonæ indolis optimum est indicium, si filij, cum de uirtutibus, de uiris illustribus, de præclaris eorum gestis loqui audiunt, aures arrigunt, talibus uerbis oblectantur, & inardescunt imitandi desiderio, si studio laudis excitantur, si amore gloriæ succenduntur, si quadam generosa emulatione ducuntur, si ipsos instituentium monitis paræt, ac cõsilijs, si eos uirtutis amor potius, quàm timor pænæ ad altiora compellit, si magis discentibus inuidet, si illos ut superent, satagunt, & subesse nõ reuunt, cum ultrò Libros euoluunt, studijs uacare, litteris operam dare, & se in uirtutibus ex se, motuq; proprio exercere conantur. Si post recreationẽ ad studia sine monitore reuertuntur instar Equorũ, qui dato signo ad pugnam protinus exiliunt, ad clamorem tubarum arrectis auribus exultant, calcariũ stimulis non indigent, & assessorum ubiq; parent arbitrio; si reprehensi erubescunt, moniti gratias agunt & depressi non irritantur. Illi autẽ spẽ conceptã euacuat, qui nihil discunt, nisi minas, ac uerba timeant, qui occasiones à litterario ludo declinandi manibus ac pedibus (ut dicitur) uenãtur; qui facile præceptoribus mentiuntur, qui libros perhorrescunt, qui illibera-

INSTITUTIONE. 30

libus se implicant negotijs, qui uultu toruo incedunt qui sepe cõtumaces depræhenduntur, qui uerborum asperitate, dum respondent, utuntur, qui nullam ingenuitatem profitentur, qui mentis tumorem præferunt, frontem perfricuisse conspiciuntur, Et qui cum discolis frequenter ambulant, conuersantur, & sapissimæ reperiuntur; qui à præceptore uerberati eum exitiali odio prosequuntur, peiores fiunt, deteriores euadunt, & nullatenus, cum obiurgantur, erubescunt, iunc bene se habet stomachus, cum cibos omnes digerit, nullam escam reuuit, omnes facile dapes admittit, omnia in corporis alimentum redigit. Sic & probatæ spei puer est, in quo omnia, minæ, uerba, blanditiæ, et inuñscula, obiurgationes & laudes cooperantur in bonum, & qui omnia boni æquiq; consulit, natura mitis, facile placabilis, & benignus existens, qui in teneris annis quosdã laudabiles mores, & gestus ostendit quasi flosculos futuræ probitatis proferens, qui suis actibus, & uultus effigie spem de se Laudibus dignam pollicetur. Nonnulli tamẽ doctissimi, probatæq; fidei uiri euaserunt natura interius operante, qui de se nullã (dum pueri essent) spẽ euadendi exhibebant; sed hoc de raro contingentibus esse censetur. Adolescentum quilibet, & puerorũ iuxta Socratis, qui quõdam uelut quoddã terrestre habebatur oraculum, dogma & consilium speculum intueatur, si se formosum conspiciat, ne uitij formositatem deturpet, enitatur, si deformem se esse uiderit, formosum se uirtutibus reddere studeat. Sed præclarior uirtute ipsa prædi-

DE VERA LIBERO.

tos spectet, ut uiuo eorum excitetur exemplo. Multum potest in iuvene fixa probatissimorum uirorum adhuc uiuentium inspectio, consideratio, & memoria. Hinc præceptoribus, ac parentibus consulo, ut præclara talium, ac Sanctorum gesta eis sapissimè proponant, quò ad meliora magis interius succendantur, inardescant, Excitentur, & promoueantur.

Vt parentibus filij obediatis, exigit pietas, dicitur fides, & diuinum cogit imperium. In decalogo enim ait Dominus. Habeas in honore parentes. Et apud sapientem, Honora patrem tuum, & matrem tuam ut sis longæuus super terram. Assurgite ergo filij, cedite, Seruite, obsequimini, Et subuenite patribus futuri patres, ut eadem charitate uos uestri pertractent filij, quod uobis à natis fieri concupiscitis, uos patribus conferre non desinat. uestras interna matres pietate diligite, ut uxores uestre iuxta Hieronymi consilium matrum nomine nuncupari mereantur, à filijs, filiabusq; uestris uenerari. Sui ui eos mentis dulcedine alloquimini, absit à uobis omnis uerborum asperitas, charitatis affectum sonet quicquid in parentum auribus effunditis; quia si omnis potestas à Domino Deo est, tantò magis parentum potestas, in quorum ditione uos estis positi à summo rerum omnium conditore, uestra eos delet deuotio, pia conuersatio, & uera uite nouitas. Locum Domini tenent, ac uicem gerunt in terris, qui quò erga eos uos met geratis in terris intuetur in Cælis, his ergo ut Domino seruiatis, scientes quæ, & quanta,

INSTITUTIONE. 51

quanta, dum uos alerent, pertulerint. Quando tam inestimabile persoluetis debitum? Memores estote, quòd per eos in hanc lucem prodiuistis, ad baptismatis fontem peruenistis, agnitionem ueritatis habere cepistis, ideo eis gratas uices reddite pietatis. Vos non latet, quod sæpe uos sibimet præposuerunt, quod uestri magis quam sui curam gesserunt, & eorum senectutem libenter foueatis; quòd pia eorum laboribus uicissitudo reddatur, ut uestri uos posthac in Domino consolentur filij. Præceptores quoq; uestros diligite, & si uos aliquando minarum acerbitate, aut uerbis persequantur, ad hoc enim eos suauissima erga uos excitat charitas, cupiunt, ut morum, ac litterarum candore euadatis conspicui, & uestram salutem sitiunt, uestro, ac suo honori consulentes. Quod ipsi nunc faciunt, uos nescitis, scietis postea, cum uestrorum fructus laborum degustare incipietis, cum in uobis discretionis fulgebit radius, & cum admirandi uirtutis effectus cor uestrum summa iocunditate perfundent.

Moneantur pueri adolescentes, ne facile amicitias contrahant, ne eas etiam facile dirimere cogantur, ne mendacijs assuescant, & oblocutionibus, quia hac dehonestant scientias, & uera deuotione se ne anilibus se imbuant superstitionibus, quibus non nulli subsannantur, ut diuini cultus ubiq; religionisq; rationem habeant, ut non facile iurent, Dei, Sanctorumq; nomen reuerenter proferant, ut de futura uita potius quam de presenti cogitent, ut in

men

DE VERA LIBERO.

mentis constantia, humiliq; patientia se exerceant, quò inter homines sibi durum non sit quacunq; perpeti, ut erga omnes summa utantur humanitate, ut graues sint in incessu, benigni in responsis, prudētes in singulis, non facile omnia credant, sed singula matura consideratione prosequantur. Qui enim facile credit, leuis est corde. Hinc complures in maximos excessus irridendi prolabantur, nos namq; non latet, quòd quilibet, quæ sua sunt imprimit, ideo alteram partem audire sapientis est. Caueant & à quadam agresti seueritate, quæ ducti quidã uix aliquid credunt. O iuuenis mediotutissimus ibis. Prudentes consule moneri uelis in singulis, nullius, si prodest, sensum contempseris unquã, quia sepe etiam est olitor ualde opportuna locutus. Quid non admiratione dignum olim dixit Romæ in senatu Nillicus ueniens ex Danubio, ut in libris, qui Marco Aurelio inscribuntur, legitur? Rari sunt in hac nostra infelici tempestate, qui in sublimioribus potestatibus constitutos de ijs, in quibus aberrant non sine magno populorum detrimento monere audeant: rariores, qui moneri uelint, ac si irreprehensibiles essent; quia ius urbium habent in manibus, & tamen homines sunt, & omnis homo currit, & pronus est ad malum. Non desunt in mente Senum, qui plura experiuntur, ea, de quibus opus est, ut pueri adolescentes, & iuuenes moneantur. Ideo senes omnes adhortor, ut eis non deficiant, ut ipsa Charitas exigit, quia nimia patrum indulgentia, & praesertim matrum liberos eneruat. Sapientes consulūt,

INSTITUTIONE.

136

ut extra domos apud peritum, discretumque magistrum educantur, literisq; ac bonis moribus instituatur, ne in domesticis delitijs, ac peccandi licentia, quam sibi uendicant, euanescent. O uiduæ matres, si uobis uestri non parent liberi, non obediunt, non morem gerunt. non obsequuntur, cur eos domi detinetis? cur eos aliò non dirigitis? cur studijs liberalibus saltem procul apud amicos illos non dedicatis? Fortè, ut cum prouectioris erunt ætatis, afflictionibus uos magis cōfodiant, dilacerent, & cōficiant? Liberalia autē studia illa à nobis nuncupantur, quæ in genuis, nobilibusq; sunt digna liberis, quibus inquã homo interior colitur, Vera uirtus exercetur, perfecta acquiritur prudentia, uera comparatur sapientia, animus noster ad meliora disponitur, ad spiritua lia, ad cælestia, ad diuinaque humanus spiritus suis gradibus excitatur, quibus totius uitæ rationes continentur, & quibus tandem cōformes efficimur imagini filij Dei. Rarò uerus in senectute sapiens uideatur, qui adolescens sapere non cœperit, & rarò adolescens sapit, qui à teneris annis nō eruditur; Ea. n. ætas est aptior eruditioni; licet sēper sit discendū, quia turpe ē homini nescire. Sed heu quot hodie uix ablatos ab uberibus, magistros adire pudet? quot erubescūt inter discipulos cōspici? Quot prius apprehēdūt arma, quã libros? Quot uolunt domini, à magistris appellari, utq; sibi illi inserviant. Quomodo discunt illi, quibus nullus est doctoris timor, & reuerentia? Præceptores non sint nimis faciles, nec seueri in erudiendis

diendis liberis, à discretionē illustrati sciant quos ad discendum blanditijs allicere, & quos comminationibus, flagelloq; cogere debeant. In nulla quippe arte ita fulgere debet discretio, hac enim in professione ij regendi sunt, qui rationis usu carent, quibus nulla est prudentia; qui magis sensibus, quàm uirtuti sua sponte inserviunt, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponūt lucem tenebras, & tenebras lucem. Nimia indulgentia, & libertas spectatam soluit indolem. Nimijs timor ingenij uires eneruat, nil enim audet, qui in singulis errare ueretur, Ideo in magistro, & in parentibus summa opus est prudentia. Nonnulli fuerunt (ex quo illis abusi sunt) quibus melius fuisset, quòd illas penitus ignorassent, quod & Nero, ut apud Suetonium legitur, in seipso peroptauit. Nullus hinc tamen literas perhorrescat, quia semper profunt eis bene utentibus. Si pauper quis est, quantò ignobilior erit indoctus? Si diues indoctus, quid domi faciet, nonne otio tabescet, ni uelit cum Domitiano, ut idem Suetonius refert, stilo ferreo muscas insectari? Si in militia se uoluerit exercere, quomodo sibi res feliciter succedet, nisi antiquorū præ manibus habuerit historias, & nisi eorum pericula cautum, & gesta prudentem reddiderint? Quomodo sibi, suisq; militibus consulat? Quomodo ueterum sibi, si ea ignorauerit, proderunt stratagemata? Memoria quidem nostra labilis est, non est omnium capax, sed paucorum tenax, eã fouent libri, cū ad eos cōfugimus, semper præsto sunt,

sunt, ut nos adiuuent. O' præclaram librorum suppellectilem. O' iocundam eorum familiam, & societatem, quæ non obstrepit, non inclamat, non surripit, non uorat, non obest, sed plurimum confert. O' doctissimorum laudabilem uitam ueris non mediocriter delitijs refertam, ineffabili delectatione respersam, & summa iocunditate perfusam. Quis ergo ex pueris, ac adolescentibus ad litterarum studia se non deberet accingere, dum tempus adest, dum sufficit ætas, dum domesticis curis non grauantur, dum necessaria sibi suppeditantur, & dum ueras opes, quietem animi, mentis tranquillitatem, ueros honores, desiderabilem gloriam ex litteris, ex liberalibus studijs, ex bonis artibus, ex uirtutibus emanare, prodire, & effluere conspiciunt? Pueri priusquàm ad alias scientias se conferant, congrui in omnibus sermonis rationem habeant, orare discant, Rethoricen perfectè profiteantur, Dialecticam, qua uerum à falso distinguant, realiter calleant, & Philosophiam. Quò præcipuè hæreticos accuratius impugnent, catholicam ueritatem tueantur, sacram uerè Theologiam percipiant, ad quam tamen uera tutius humilitate, & feruenti acceditur oratione. Ad ueram quoq; Musicam adolescentes adhortor, qua post studia recreentur, eorum ad cælestia spiritus excitetur & diuino mens magis amore ardeat. Studio operam nauantes delectos euoluant libros, non uarios, quia teste Seneca, lectio certa prodest, uaria delectat. & planta, quæ sæpe transfertur, non conualescit.

DEVERA LIBERO.

Qui plura aggreditur, memoria pauca complectitur, & pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Qui paucis, & eiusdem disciplinae melioribus libris innititur illis eodem ordine intendens, quo ab ipsis traditi sunt autoribus, citius coeteris proficit. Memoriam plurimum adiuuas, si quicquid legeris, aut audieris in die, in sero commemoras, si idem crebro cum socijs confers, aut disputatione prosequeris, si idem alios docere studes, saepe lectitas, ad alios scribis, & frequenter mente reuoluis. Assuescant pueri à primis suae aetatis temporibus laboribus, sudori, & patientiae, ne facile frangantur, si quid postea difficultatis immineat. Consuetudo siquidem est altera natura. Assuescunt & ramusculi paulatim fructuum ponderi. Hinc eos, cum maturitatem attigerint, facile sustinent. Perutile ergo eis erit, si saepe esuriant, sitiant, uigilent, algeant, aestuent, labores perferant, obiurgationes aequo animo tolerant, dum litteris incumbunt, ut animus simul & corpus in eis exerceatur. Qui huiusmodi obdurescunt exercitatione difficultates omnes facile subeunt, euadunt, pertranseunt, & qui delitijs fouentur, facile, cum difficultas adest, interius dissoluuntur, & sibi, alijsque paulatim inutiles conspiciuntur. Si uitio dantis adulescens ab oblocutoribus ita in uirtutibus proficias, ut demum obmutescant, teque cum ceteris laudibus prosequi cogantur. Si te aliqua ex parte uirtute decoratum nonnulli laudibus efferunt, illas potius tolerabis in lateribus tuis admota calcaria, quam in te uirtutis pre-


INSTITUTIONE.

premium censeas.

Cum liberalibus te satis artibus uacasse uidebitur, ad militiam spiritualem potius quam temporalem te accingas, quia uita nostra militia est super terram, quia ueri Christicolæ Dei Opt. Max. milites esse dicuntur, & quia sine interna uictoria contra passionem animi, carnis concupiscentias, Mundi illecebras, & Demonum laqueos non coronabimur in caelesti patria. Deferant aliqui arma bellica, in uenationibus. (ut sibi magis lubet) se exerceant, equos pingues conscendant, pila ludant, aut aleis, Choreas ducant, luctentur, simul congregiantur, cursitent, saliant, aut forensibus se occupent negotiis, aut mercibus obruant, aut alijs lucris insistant: Tu si uictui habes necessaria; tibi met uim inferas, ames studia sacrarum litterarum, feruenter in cubiculo tuo Deum adeas oratione, Crucem tuam uiriliter deferas, uince animos, iramque tuam, te ipsum uincas in singulis, cognosce, & realiter despicias, Mundum contemne, Deo tuo te totum dedica, ut ei semper placeas, tibi semper displiceas; emanat alij prædia in terris, tu hereditatem tuam quaeras in caelis, Vigilent alij in Castris pro mundi gloria, tu desudes in corde tuo in humili te exercens poenitentia pro Christi gloria. Conuiuia alij frequentent, uxorem ducant, in Principum curiis uersentur, seruorum cateruas semper habeant, cum amicis amœnis in uiridariis, uel apud limpidissimos fontes, uel in aulis regijs epulentur, & in uoluptatibus breuiter ducant dies suos. Tu te-

DE VERA LIBERO.

eum habita, Crucem quare, Crucem gere, Christi
Crucem intueere, ut eius amore langueas, ut eum tā
rum possideas, ut in eo solo iubiles, ut ei soli placeas,
ut sua te Charitas vulneret, ut te in secundis humili-
liet, ut te in aduersis foueat, ut te ad portum diri-
gat, inter electos numeret, ad cælumque peruenias
per ueram ipsius gratiam, ubi nihil deficiet. Hæc om-
nia hic transeunt, cum habentur non satiant, cum
non habentur excruciant, nihil est hic durable. Nūc
ergo per terrestria tu sic transire studeas, ut cum
defeceris sæculo, non amittas cælestia: In hoc tuū
sit studium, huc tendat desiderium, hoc cogitet in-
genium, et nil aliud appetas, quam per Christi uesti-
gia consequi Cæli præmium, Angelorum consor-
tium & comprehensorum omnium uidere semper
gaudium. Amen.



Andrea Pioni Abbatensis Tetraſticon.

Hoc opus accipiant qui nunc patrimonia curant
Linquere pignoribus splendida, tuta suis.
Nam uirtute nihil præclara firmitus usquam est:
Quam mira cunctis explicat arte Liber.

BR E V I S A D H O R T A T I O A D 239
Pueros, Adolescentesque nouitatem
uitæ Peroptantes.



Deste Pueri, & Adolescentes, qui
nouitatem uitæ peroptatis, et percipi-
te uerba oris mei in amabiliſſimo
Domino Ieſu, ne uos humanæ inflent
ſcientiæ, mundus decipiat, ſupplan-
tet caro, ſeducat Diabolus. Ipſum Dominum, cui cæ-
leſtis Pater dedit omne iudiciū facere, timete, in cor-
dibus ueſtris colite, diligite, & ubiq; præ oculis ha-
beatis. Pro illius ſolum gloria diſcite, quicquid lo-
quimini, & cogitatis ad eum dirigite, et ſuper omnia
uoſmet gratos reddere ſtudeatis mentis munditiæ
conſcientiæ ſerenitate, animi ſinceritate, intentionis
reſtitutione, et cordis puritate. Libros, qui uos ab eo
auertunt, dimittite. Magiſtros Poetarū tantum nu-
gis inſiſtentes, & Chriſtum nunquā uobis proponētes,
ut tot ſerpētes fugite: Aliquod ſpirituale opusculū qđ
uos interius ædificet, ſemp præmanib. habeatis. Con-
feſſorē aliquem uobis eligite, qui Dei amore ferueat,
mundi cōtēptum calleat, ſpiritalia profiteatur, tē-
poralia non curet, diuinis innitatur, & deguſtet cæ-
leſtia. Huic uoſmet penitus, & humiliter detegatis
conſiteamini fręquenter, & ſemper pareatis, iuxta
ſalubria eius conſilia uitam ducite, ad orationes ſæ-
pe ſuas conſugite, eius monita feruenti executione
complecti ſtudeatis; eius in ſingulis ſtetis iudicio,
eius iugiter percurratis ueſtigia, ſæpe teratis limina
diu noctuq; ut quoddam ſpeculum piæ eius intentio

nem intueri non desinat is, studia uestra sēper praeueniat oratio, nulla uobis cū alijs sit contentio, iniuriā ab alijs potius perpeti, quā eis inferre uelitis. Parētes, magistros, & superiores quoslibet summa propter Dominum ueneratione prosequimini, nulli Discipulorum aliquid furto surripiatis, neminem fraude circumueniatis, à mendacijs, detractionibus, conuictijs, & obscenis uerbis abstinete, ad uirtutes eam amor uos excitet. Vos non fugiat hoc esse nescire sine uera humilitate, sui ipsius cognitione, & Christi imitatione plurima scire, plures libros euoluere, Dialecticā callere, Philosophiā, aliasq; humanas sciētias profiteri. Cor uestrum omni diligentia custodiatis, ne illud aliqua Diabolus occupet, suis laqueis inuoluat, & temptationibus obruat. Ut peregrinos nos super terram esse arbitremini, ad caelestem patriam ut ueram patriam uitae uestrae cursum dirigite, ibi mens uestra uersetur pro recreatione, Angelorum intersit tripudijs, Sanctorum gaudijs & comprehensorum omnium in Dei laudib. concentui. Ad discolis pueris, à uanis adolescentibus, à lasciujs iuuenibus ardentem declinate, bonos enim mores eorum corrumpunt colloquia. Ludi uestri sint breues ne tempus in illis conteratis, lectiones assiduae, ut magis proficiatis, & mentales orationes continuae, ut Deum praeculis semper habeatis. In oratione uestram defleatis negligentiam, quotidianas culpas, propriam defectibilitatem, & ingratitude, Passionem Domini, & huius miserae uitae incolatum caelum uersus iugiter emittentes suspiria. Deo pro

tot

tot uobis collatis beneficijs inexhausti uigoris agatis gratias, diuinum eiusdem imploretis auxilium, & eidem condiscipulos commendatos habeatis. In oratione quilibet uestrum sit sui diligens explorator, ne in sua interiori domo quid hiet (ut uester scribit Virgilius) ne quis perturbet angulus, ne quid in spiritali eius edificio deliret amissis. Cum spiritalis pater, duxq; uester in Domino uos ad sumendum sacratissimum altaris sacramentum adhortatus fuerit, reuerenter accedite, prudenter cogitate, quid facitis, maiorem uitae emendationem, nouitatemque uobis proponite, Confessori spondeatis, Deo promittite, & in promissis ei nunquam deficiatis.

Quod aliqua repetere uidear uobis filioli durū obsecro non uideatur, sed me apud uos Doctor gentium excusatum habeat, cū scribit, ut importunitate quadam monendo, arguendoq; utamur. Importunitas autem sine uerborum exaggeratione fieri non solet; exaggeratio uerò saepe decenter uerborum repetitione perfunditur. Excuset quoq; me Charitas: cuius impulsu hunc aggredior Tractatulum, uerā namque Christi imitationem omnium uestrum cordibus imprimere concupisco. Medici etiam eadem saepe pharmaca repetunt, eadem per plures dies adhibēt medicamina, eadem syrupando proponunt pocula, et ad ulcus aliquod, uel uulnūs curandum eadem saepe unguēto uti conspiciuntur. Solent & Agricola prius quater, aut quinquies agros suos exarare, quā eis mandent tritici semina. Ad haec phalerata uerba, clausularumq; fucum nō profiteor, sed Christianam

E 4 scri-

DE VERA LIBERO:

scribendi simplicitatē. Nunc ad rem, à qua digressi sumus redeamus. Vestrum quilibet in uerbis, in incessu, in habitu, in conuersatione ubiq; locorum menti fixam præferat humilitatem, cedat alijs, honore alios præueniat, alijs libenter pareat, compatiatur, & amore Christi, si opus est, subesse uelit. Dum literalis in ludo sit cōgressus, in neminem insurgat, omnes condiscipulos reuerenter pertractet, omnes in Domino, ut seipsum diligat. Sic facientes, eritis pariter Christi discipuli; aliter agentes, infelix eritis præda Luciferi.

Mariam uos omnes sæpe inuocate, non recedat ab ore, non recedat à corde, colatur labijs, mente, ac spiritu, per hanc enim in humani generis suffragium altissimus singulis diebus mirabiliter operatur. Hinc ad spiritalem uestrum omnium consolationem rem dictu mirabilem uobis annuntio. Quadam æstiuis temporibus infirmitate laborans, ad fontem almæ uirginis (sic namq; ibi ab omnibus nuncupatur) ad montis Hortoni à quodam nobili Hortone olim eius montis possessore sic appellati radices emanantem, apud Patauium me contuli, & Deiparæ precibus, ac meritis, quod toto corde peroptabam, breui id obtinui. Scatentes autem aquæ limpidissimæ, haustu faciles, tepidæ & lactei saporis existunt, Fons ipse quodam in antro esse conspicitur. A dextris huius balnei calidissimæ ebulliunt aquæ, & à sinistris frigidæ effluunt. His olim in aquis (ut millesimo quadragesimo uigesimo octauo anno compertum est) quibusdam lapidibus depressa imago Reginæ Angelorum conspicua iam pluribus fortè annis elapsis latebat. Hinc miram aquæ sanandi uirtutem forsitan contraxerunt. Ibi prius loca erant inculta, nunc detecta miraculo tantæ uirginis imagine, uenustissima cū

INSTITVTIONE: 38

241

spestabili Cœnobio erecta est Ecclesia, ad quam populū tot uisus miraculis undiq; confluunt. Dum autem illa esset diuinitus detegenda, res sic successit. Quidam nobilis Petrus Falzus domi, militiæq; insignis quadā ægritudine confectus spe ductus sanitatis istuc se deferri iussit, & eī balneum adhuc incognitum ingredi uolenti uirgo uirgēnum apparuit; præcepitq; ut Patauij Episcopo imaginem suam ibi depressam esse annuntiaret, eamq; erigeret, quò ipsam cuncti ueneratione prosequerentur & hoc (inquit) sit tibi signum, quòd iam sanus factus es. Is feruenter sibi iniuncta exequitur, & crastina die fulgente cum clero adest Episcopus; humiliter fit processio, & qui imaginē extrahat, in fontem demittitur, quæ adeo uisu mirabilis est, ac si tot annis aquis obruta non fuisset, sed depicta nuper extitisset. Ibi obseruantes sancti Augustini Fratres diuinum nunc cultum promouent, rem diuinam conficiunt, & laudabili uitæ exemplaritate populorum fouent deuotionem confluentium. De illis non loquor, qui hoc potu sua imprudentia se reddiderunt indignos, nam expulsi sunt nec potuerunt stare. Nullus uestrū coram Deo & Angelo ad sui custodiā delegato cogitare, loqui & cōmittere audeat, quod coram hominib. non audeat, sed erubesceret. Si aliqua in mētē Diaboli se suggererit tēptatio, ut ad carnalia uos pertrahat, extēplo meditatione reuoluite, quòd momentaneū est id, quod delectat, & æternum, quod cruciat, salubrique iræ moti contra uosmet exclamate. Dominus meus torquetur in crucis patibulo & ego uoluptati operā dabo? spiritū inter filiū & matrē collocate, dicatq; uestrū quisque. O diabole tua uoluptate nō indigeo, hinc enim pascor à uulnere, & hinc lactor ab ubere.

DE VERA LIBERO.

ubere; Spirituales consolationes corporeis præponite, & respicite sæpe in faciem Christi uestri cruci affixi, spinis coronati, undiq; sanguine perfusi, ita derelicti, ut neminem uideret, qui cognosceret, & consolaretur eum ex omnibus caris eius, & sic doloribus confecti ut à plâta pedum usq; ad uerticem non esset in eo sanitas.

Percepta Grammatica ad sacras uos litteras accingite, potius quàm ad inanes scientias; in illis namq; sunt uerba uitæ. Religionis potius portum, quam mundi scopulos eligite, & timida uestræ Deus nauis iter diriget; Euangelicam appetatis perfectionem, propriam libenter crucem deferre, ex quo per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Omnibus potestatibus subditi estote ubiq; locorum (ni aliquid contra Deum præcipiatur) quia teste Paulo, Omnis potestas à Domino Deo est, & si omnis potestatis, tantò magis ecclesiastica, ideo ecclesiasticis præsertim uestris semper obedite præpositis.

Si milites esse decreueritis, neminem (ut consultiuit Ioannes) conculcatis, nulli calumniam faciatis, estote contenti stipendijs uestris; Si domi uitam quis ducere gliscit, & satagit, suis contentus sit redditibus, uel in sudore uultus sui in domino, si terrenas non possidet facultates, uescatur pane suo. Nullus uestrum mentis tumore exaltet cor suum, (sed humiliet) aliquem despiciat (sed in singulis ueneretur Dominum) alicui noceat (sed omnibus prodesse conetur) alicui detrahat (sed omnium pro uiribus honorem tueatur) alicui alicuius surripiat (sed potius sua largiatur egentibus) aliquem irrideat (sed cunctis reuerentiam

INSTITUTIONE. 37

172

rentiam exhibeat) alicui se præponat, (sed omnibus se agnoscat inferiorem) Nil se scire arbitretur, qui uult aliquid scire; Ea, o, fili diligenter caueas, quæ leuitatem redolent, tumorem animi innuunt, elationem cordis ostendunt, hypocrisim sapiunt, proximi contemptum, aut scandalum pariunt, & quæ aliis obloquendi occasionem afferunt. Quæ sursum sunt cogita. Quæ sursum sunt quaeras. Quæ sursum sunt sapias, non quæ super terram. Hic anxietas maxima, nulla quies. Illic est status summa felicitate exuberans, felici iocunditate, iocunda tranquillitate, tranquillâ immortalitate, & immortalis æternitate. Illic inquam est summum bonum, quod nostra transcendit desideria, & status omnium bonorum aggregatione perfectus ad quem non sunt condignæ passionibus huius sæculi, ad quem mentem debes erigere, non ad paternos redditus tibi derelictos, uel relinquendos. Si factus es uir, o, fili, euacues quæ erant paruuli. Si discretionis annos attigisti, tua ubiq; effulgeat discretio, clarescat prudentia, nota sit omnibus hominibus modestia, & erga pauperes ardentem exerceatur charitas. Hoc tuæ menti inseras, insertumque custodias, quod beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, quod sola misericordia comes est defunctorum, & quod misericordiam inueniet apud Dominum, qui misericors erga alios extiterit. Quod uni dico omnibus uobis dico. Semper (iuxta Diui Hieronymi consilium) aliquid boni facias, o, fili, ut Diabolus te semper inueniat occupatum, ama studia sacrarum litterarum, quamuis lay-

DE VERA LIBERO.

laycum te profiteri uelis, & carnis studia non amabis, attende tibi quantum potes, cognosce te ipsum quantum debes, tuos inordinatos affectus discretè mortifices, quasi singulis momentis moriturus, & semper te talem exhibeas, qualem te a domino cupis inueniri in mortis articulo. Quotidie quippe morimur, quotidie aliqua pars uitæ demitur (ut scribit Gregorius) & hunc quoque diem iam cum morte diuisimus, cuius nescimus diem, nescimus horam, ignoramus momentum. Latet unus dies, ut omnes obseruentur dies, ne nos incautos mors opprimat, ne non præuisa irruat, ne non obseruata terribilius irrumpat, ne imprudentes in tenebras exteriores deuoluat, ne urgeat super nos puteus os suum, ne in æternæ mortis manus incidamus, qua captiuitate nil infælicius. Nulla enim ibi est redemptio, spes euadendi; & solaminis occasio. Te non extollant prospera, non frangant aduersa, non decipiant blanda, non seducant terrena & non terreant Diaboli retia. Tibi nauseam non pariant spiritualia, ne in illis exercendis conficiaris tædio, quod in multis ex graui prodijt accidia, non excidant ex animo cælestia, Dei à memoria non elabantur beneficia, et tot tibi collatæ obliuioni non tradantur gratiæ; Perniciosa puerorum, ac adolescentium sine disciplina, sine bonorum morum candore, sine bene ui-

INSTITUTIONE. 40

uendi norma existentium, te non moueant exempla, mala colloquia, & peruersa opera, sed eorum potius progressus intueri, qui uerè Deum diligunt, colunt, & timent, qui uerè Parentes honorant, obseruant, et præceptores, qui ueram uitæ cupiunt nouitatem, qui hauriunt aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, quos delectat bene facere, & male pati pro Christi gloria, & qui Amænum discipulorum Viridarium in perutilem Dialogum redactum, & non minus spirituale, quam grammaticum memoria didicerunt, operibus exequuntur, & Deo (cuius largitati bona ascribenda sunt omnia) gratias agunt de tali munere. Si uis, o, fili perfectius Deo placere, de his caducis non cures ac si non essent: Deo in conditione tua ita perfectè dedicare studeas, ut nil ultrò cogites, loquaris, aut facias, quod sibi displiceat. Omnes te meliores, & Deo fideliores in eorum mentis recessu esse censeas. Plus conare, ut uirtutes tuas occultes, quam uitia. De te uel taceas, uel humiliter loquaris, & ab aliis laudatus tuam interroges conscientiam. A nullo te ledi arbitreris nisi a teipso licet te aliqui conuictis prosequantur (nemo enim ait Chrysostomus leditur nisi a seipso) Iurgis, quibus fortè aliqui te afficiunt potius quam laudibus internas aures adhibeas, illa siquidem humiliant, hæc solent extollere. Cogitationes tuæ sint spirituales, locutiones utiles, & operationes secundum legem altissimi. Si alicui detrabi percipi, & cuius inters

DE VERA LIBERO.

tionem excuses, uel id magna ascribas tempta-
 tioni, uel saltem detractionibus non facile credas.
 Contingat quicquid tibi possit contingere, be-
 nedic Dominum in omni tempore, semper laus
 eius sit in ore tuo. Tecum habita ubicumque
 fueris, & quoscunque audis sermones, qui uanita-
 tem redolent, ad spiritualia (si potes) prudenter
 transferas, ut puta. Si quis loquitur de tempo-
 ralis belli acerbitate, dic, o, frater quid sentis de
 nostro bello interno, quod contra nos gerunt Demo-
 nes, nostri sensus, & mundi illecebræ? quod inquã
 iam tot annis, tot nostris uitiis Deo intulimus, &
 uirtutibus? &c. Si quis loquitur de terrestri arri-
 ditate, dic. Heu quam arida est anima nostra,
 quantum indiget salubrium lachrymarum pluuia,
 & rore celestis gratiæ. &c. Si quis de Peste scuis-
 simè ingruente loquitur, dic. O, quam magna pe-
 stis est cupiditas, hæresis, carnis concupiscentia, &
 humana superbia, quæ hodie penè totum terrarum
 orbem depopulantur &c. Si uerba alius profert de
 penuria, dic. O frater quantam feruentium Chri-
 stianorum hodie, humilium, Deum timentium, de-
 uotorum, & patientium penuriam conspiciamus.
 Messis multa, operarum autem pauci. Rogemus ergo
 Dominum messis, ut mittat operarios in messem suã
 sui diuini amoris igne successos. Si de alicuius diuitiis
 ex magnis lucris contractis quis loquitur, subiungas
 statim illud Domini. Quid prodest homini si uniuersum

INSTITUTIONE: 39

L. 4. 1

sũ mundũ lucretur animæ uero sue detrimentum pa-
 tiatur. Vera hominis diuitiæ sunt bona animi, sũt ea
 quæ amitti nequeunt, sunt in celesti patria, ad quam
 tendere debemus bonis operibus, humilitate, & pa-
 tientia. O quantum fili mi talibus prodesse tran-
 slationibus proximo, Deo tuo placere, Demoni
 displicere, & benefacere quod debes, unicuique
 enim mandauit Deus de proximo suo, & non so-
 lum ecclesiasticis addictisque religionibus, ut non
 nulli falso arbitrantur.

Ad hæc non loquaris nisi ut profis, aut caritatis
 intuitu, aut necessitatis impulsu, aut obedientiæ
 studio. Multum cum Deo tua loquaris mente &
 lingua parum cum hominibus. Malos cogitatus ex-
 templo, ut eos per agrum tui cordis euagari cogno-
 ueris, Christi memoriæ interficias gladio, & alli-
 das ad petram, quæ ipse suauissimus Christus est,
 operationes tuas sæpe discutias, examines, explo-
 res, perscruteris, ne in aliquibus Deo displiceas,
 uirtutum candorẽ uioles, conscientiam tuam obnu-
 biles, & desiderabilem cordis puritatem impedi-
 diuinam offendens presentiam; Pone custodiam in-
 ter cetera ori tuo, ut non delinquas in lingua tua,
 In multiloquio enim non deest peccatum, & qui
 non peccat in lingua hic perfectus est. Hinc semper
 melius ẽ tacere quam male loqui. Dixisse me aliquã
 do pœnituit (ait Xenophõ) tacuisse nunquam. De om-
 ni uerbo otioso (ait Dominus), eriditur sumus ratio-
 nem. Qui multa loquitur ex consuetudine locutio-
 nes

INSTITUTIONE.

nes suas pro nihilo habet, in seipso diuisus est, sicut aqua difusus est ob mentalem distractionem, in corde dissipatus est nec compunctus, uerè diuinis rebus uacare non potest, suæ nec aliorum saluti consulit. In nullo sis pertinax indifferentium, deuotionē foueas, Hæreses omnes detesteris, catholicam semper ueritatem, & ubique profitearis, ac orthodoxæ fidei feruenter inhæreas. Corporis sæpe consideres miseras, dignitatem animæ, huius uitæ breuitatem, mortis aduentum (quia facillè contemnit omnia, qui semper se cogitat moriturum) & quæ nobis promittuntur in cælis, ut tibi uillescant omnia, quæ habentur in terris. Si quid pateris, cogita, quòd acerbiora merearis, si quid amittis æquo feras animo, quia maiora habebis in cælo inter suauissima Angelorum agmina. Si dolores aliquos sustines, meditare interius, qui cruciatus sint in inferno, ac Purgatorio, illius enim pœna est æterna, & huius excedit omnes seculi pœnas. Si quid gaudiij habes, memorare maiora Christi fidelium esse solamina, quòd maioribus feruentes exuberant delicijs, & excellentius quàm tu reficiuntur in mēte. Deum solum simpliciter quæras, & quāuis cucullam non deferas, Hæremos non incolas, nec in solitudine uitam degas, Deo placebis. Si Is tamen te ad religionem uocat interius ne differas eam ingredi, quia ipse tecum erit in singulis. Si is ad solitudinem te uocat, feruentes consule, & ne trepides timore, ubi nullus est timor, quia nunquam minus solus eris quàm cum solus. Nam tunc tecum erit

INSTITUTIONE. 41 245

erit dominus, qui iugiter nos hortatur, ut certemus, adiuuat, ut uincamus, & uincentes coronat. Solitudinem insuper quis debitis laudibus efferre posset? Ipsa namq; hominem custodit immaculatum ab hoc sæculo. Etsi aperto Marte in ea homo cum diabolo congrediatur, Deo tamen præstante facilius uincit & superat, si ipsi hominum conditori se perfectè dedit. Solitudo componit mentem, in Deum animum ordinat, spiritum roborat, ueras affert delicias, carnem domat, cælum iugiter intuetur, Demonibus ubiq; imperat, præsentia despicit, æternis inhiat, auget meritum, consequitur gratias, obtinet ueritatis lumen, regit sensus, eosq; subdit rationi, intentionem dirigit (quæ Deo placemus uel displicemus) cumulat dona, & quod est mirabile dictu, homines coequat Angelis, ex terrenis cælicos ciues reddit, ex humilibus deificat, & amabilissimo Iesu Christo copulat. Qui cam ardenti degustarunt desiderio, ipsam amabilem uera suauitate refertam, mira dulcedine perfusam, ac delectabilem esse asserunt. Solitudo propriæ cognitionis est magistra, ueræ humilitatis speculum, summæ deuotionis Asylum, & tutum uirtutum omnium hospicium. Hæc diuinum amorem fouet, serenam reddit conscientiam, ueram nutrit prudentiam, parit decorem animi, ac innocentiam. Hæc nos ad compunctionis fontem, ad ueræ tranquillitatis mansionem, ad mentalis orationis portum, ad claros discretionis radios, ad internum silentium hodie paucis cognitum, ad

DE VERA LIBERO.

ueras diuitias, ad cœlestes thesauros, ad iuge spiritus conuiuium, ad spiritualis pacis poculum ad contemplationis dulcedinem, & ad cœlestem sponsum interiorum hominem dirigit, redditq; iocundissimum, nam cum Angelis uersatur, cum sanctis loquitur, & sua cum Deo pertractat negotia. Fœlix qui eã maximis dignam præconiis ueraciter possidet, & infœlix qui adhuc in sæculo defluit puitio orũ deuia, inutilib. fœdatur cogitationib. mētis laborat cœcitate, terrenis coinquinatur affectib. uacuat dulcedine, (& ut ait Augustinus in quodã sermone) impletur amaritudine, a luce relinquitur, à tenebris occupatur, à tepiditatis morte inuaditur, & à uita, quæ Christus est, repudiatur. Qui ad hanc uult pertingere solitudinis amœnitatem, mundum despiciat, seipsum mortificet, proximum ædificet, uera uitæ nouitate propriam uoluntatem eliminat uitia singula detestetur, seipsum uerè possideat, sibi dominetur, Christum realiter imitetur, & à terrenis auersus cœlestia contempletur. Iddem domi faciat, qui aliquam ingredi desiderat religionem, & ut magis Deo placeat, sibimet uilescat, & displiceat. Quæ nunc admoneo miti puer adolescensq; indole serua, & præ tuæ mentis oculis, hæc mea teneas consilia. Sperne te ipsum, sperne mundum, sperne nullum, & spernas ab omnibus sperni Apostolos imitans, qui ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniã digni habitus sunt pro nomine Iesu contumeliam patiti. Omnem tibi, o fili, carissime adimet difficultatum

INSTITUTIONE. 42

246
 uniuersalis iudicij memoria, in quo superius (ut inquit Anselmus) erit iudex iratus, inferius horrendum Chaos Inferni, à dextris peccata accusantia, à sinistris Demonia, ad supplicium pertrahentia, foris mūdus ardēs, intus urēs cōsciētia, miser peccator sic deprehēsus quò fugiet? latere erit impossibile, & apparere intollerabile. Hinc Hieronymus ait. Quotiens Diem Iudicij considero toto corde, & corpore contremisco. Siue enim comedam, siue bibam, siue aliquid aliud faciã semper uidetur illa terribilis tuba insonare in auribus meis. Hieronyme ueni foras, & surgite mortui & uenite ad iudicium. Non deficias ergo fili mi in uia Dei, dum tempus habes, bonum opereris, patienter feras aduersa, uirtutibus feruenter insistas, & a uitis declines ac peccatis, quia teste Paulo omnes astabimus ante tribunal Christi, ut referat quilibet sicut se gessit in corpore. Deo te dedicans habitabis in ipsius adiutorio sicut mōs Syon à tentationibus non commoueberis, in illius protectione commoraberis, ipse liberabit te de laqueo uenantium. Super Aspidem & Basiliscum ambulabis & in uirtute Dei, qui nos confortat, & in quo omnia possumus conculcabis leonem & Draconem; Viriliter ergo age, & intue re Antonium illum tam ardentem pro Christi gloria dimicantem, Tu ne cede malis sed contra audentior ito. Si sanctorum socius eris in tribulationibus, eorum eris & in consolationibus. In aduersis illud Gregorij cogita, quod mala, quæ hic patimur, ad Deum nos ire com-

DE VERA LIBERO:

pellunt, quod ad magna premia peruenire non possumus, nisi per magnos labores, quod arcta est uia qua ducit ad uitam. Quod patientia opus perfectum habet, & quod sine ferro & flammis, si uolumus Martyres esse possumus, si patientiam scilicet in corde ueraciter custodimus. Habeas in summa ueneratione omnes sanctos, & praesertim Reginam Angelorum, ad eamque aliqua laudabili oratione saepe confugas, eius officium deuote proferas, eius imiteris humilitatem. Ne innitaris prudentiae tuae? sed in omnibus sapientes in domino Consule, otiositatem perhorrescas, & singularitatem, cum bonis, ex quibus semper aliquid discas, familiaritatem habeas, a malis caueto, de omnibus bene cogites, & nulli te facile credas, omnis .n. homo ex se pronus est ad nocendum; hinc Dominus ait. Cauete ab hominibus & quidem omnis homo mendax. Heu a quot deceptus fui quos fide dignos esse censebam, ideo tibi consulo, ne fidem cuiquam facile adhibeas, ni prius eum intus & in cute noueris, diu pertractaueris et diligenter discusseris. Si ad alias scientias te transferre peroptas quam ad sacras literas, non cupiditatis gratia, non inanis gloriae intuitu, non curiositatis impulsu, non elationis studio, sed ut te ipsum aliosque magis aedifices, ad illas te accingas. Ora Dominum ut tibi quid a te uelit aperiat, ut tuos internos gressus dirigat, eosque in semitis suis perficiat; Necessitas non ingluuiet, & desidia, te ad mensam & letum inducat. Si mens intumescit, contra te ipsum

INSTITUTIONE: 43

247

insurgas, in haec uerba prorumpes. Quid superbia puluis & cinis? non ne fuisti sperma foetidum? nonne es cloaca stercoreum? nonne eris esca uermium? Quid habes quod non accepisti? et si accepisti quid gloriaris? Si amor te torquet temporalium tuo sic resistas cogitatu. Amice quid intulisti in hunc mundum, & hinc quid unquam auferre poteris? nudus quaso nudus sequaris Christum, & nude crucis amare ardeas. Si te impugnat Asmodeus noli fieri sicut Equus & Mullus, quibus non est intellectus, noli tam momentanea uoluptate uiolare uirtutem castitatis, noli te beluis simile reddere. Si te uexat Gula cogita, quod ei inseruens corpus armas contra spiritum hostem tuum reficis, in miserabilemque te seruitutem redigis. Si te confodit Accidia, memeto seruorum Christi feruentium, quod si bonum facies non defeceris teste Paulo, & non deficiens metes uitam aeternam, quod cum omnia feceris adhuc Christi seruus inutilis eris. Et si inutilis faciens omnia, quanto magis renues facere quod potes? aut negligenter facies quod debes? Maledictus .n. homo qui facit opus Dei negligenter. Quis coronatur sine uictoria? Quis uincit sine certamine? Quis habet denarium diurnum sine labore? Quis laborare in uinea Domini dicitur nisi sit conductus? nos autem Christicolae omnes conduxit Dominus suae fidei radio. Quis Brauium iure consequitur nisi currat? Quis currit, nisi admittatur in stadium? Nos autem omnes ad hunc spiritualem cursum peragendum admisit, & inuitat altissimus; Curramus ergo

DE VERA LIBERO.

iugiter aspicientes in authorem fidei, qui proposito sibi gaudio, talem pro nobis sustinuit Crucem. Nil enim tam durum quod equo animo non tolleretur, si ad memoriam Christi Passio reuocetur; Si uere Deum amas nunquam eris ociosus, quia uerus amor operari non renuit. Declina ergo à malo, & fac bonum bene uiue & latare, delectare in Domino & ipse dabit tibi petitiones cordis tui; Multos inueni liberos sua sponte discētes, complures & Viros, qui sunt quò ad mores præsertim in Christiana puerorum institutione conspicui. Inter cæteros R. D. Ludouicum Mone- tam feruentem ac discretum Mediolani D. Paulum Homodeum prudentia clarum Scelteueniæ meæ dilectæ cum eorum Fratribus simul Diuino amore successos R. D. Petrum Pelegrum insignem charitate uirum & D. Io. Iacobum Rubeum Rotobij præceptorum præstantissimum. O, Iocundissimi pueri & Adolescentes nouitatem uitæ fideliter peroptantes, si hæc quæ dixi feruener seruaueritis, unctio spiritus edocebit uos, quid pro Christi gloria singulis horis agere debeatis. Dixi. Bene ualete in Domino, ac in utroq; homine, non enim minus interno quàm externo constamus homine. Bene Vale, & tu quoq; Candidissime lector meq; tibi contra obloquentes liuore percitos commendatum habeas, & Deum pro me eius inuili seruo simul cum his meis in Christo filijs oratum Velis.

FINIS.

Ad candidum Lectorem.

Errores me decumbente impressoris corrigendi notabiliores.

- Fo. 3. fa. 1. Aeconomicorum pro æconomicorum
Fo. 6. fa. 1. tales pro Tales
Fo. 6. fa. 2. Schernardo pro Schenardo.
Fo. 7. fa. 1. Quies pro queis. i. quibus in duoi uersi.
Fo. 8. fa. 1. metam pro me tam
Fo. 13. fa. 2. gerant pro gerat & fa. 2. quod pro quid
Fo. 16. fa. 1. gestentu pro gestentur.
Fo. 18. fa. 2. appellet pro appellent.
Fo. 23. fa. 1. in fine tenearis pro tenebris & quanda-
dam pro quadam.
Fo. 25. fa. 1. negligentia pro negligentia.
Fo. 26. fa. 2. imbribus pro imbres.
Fo. 27. fa. 1. pramouet pro promouet.
Fo. 31. fa. 1. cædunt pro cedunt.
Fo. 33. fa. 1. emanat pro emant.
Omitto diphthongos omissos uel prepostere positos.
ut æ pro oe. aut pro e sic tuum pie lector discretum
in his et in cæteris me excuset iudicium. Vale.

*Nos Frater Maximianus Cremē.
ord. Minorum Paduæ eiusq; dio
cæsis Inquisitor p̄mittimus hūc
librū, qui inscribitur Tractatu
lus Aureus de laudabili puerorū
instructione, imprimi posse.*